


# PALAESTRA

# LATINA



ANN. XXXVI (Fasc. IV) - N. 196  
M. DECEMBRI - A. MCMLXVI

# P A L A E S T R A   L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: P. M. Molinam, C. M. F. - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191.-1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXVI (Fasc. IV) N. 196  
M. DECEMBRI A. MCMLXVI

B. POVSIC, <i>De ratione et via quibus in tradendis litteris latinis uteniur</i> ...	151
T. CIRESOLA, <i>Hymnus in divum Joannem Bosco anno centesimo quinquagesimo ab ejus ortu</i> ... ... ... ... ... ... ...	157
N. MANGEOT, S. J., <i>Europa, quando coalesces in unum?</i> ... ... ...	161
J. MARINELLI, <i>De re coomonanitica</i> ... ... ... ... ...	163
L. M. SANSEGUNDO, <i>Horis subsicivis, De constantia</i> ... ... ...	171
BIBLIOGRAPHIA, J. L. Latorre, C. Latorre ... ... ... ...	175
INDEX RERUM ATQUE SCRIPTORUM A. 1965 ET 1966 ... ... ...	191

P A L A E S T R A      L A T I N A  
L I T T E R A R U M    L A T I N A R U M    C O M M E N T A R I I  
A S O C I I S    C L A R E T I A N I S    E D I T I

---

ANN. XXXVI (Fasc. IV) — N. 196

M. DECEMBRI

A. MCMLXVI

---

DE RATIONE ET VIA QUIBUS IN TRADENDIS  
LITTERIS LATINIS UTEMUR

*Allocutio quam anno MCMLXVI p. Chr. n.  
habuit clmus. Professor ad eos qui in schola  
aestiva ad Sancti Michaelis Academiam latinis  
litteris operam dabant.*

Antequam in medias res procedamus, auditores spectatissimi, nonnulla de methodo, qua in tradendis latinis litteris utemur, dicere utile ac paene necessarium existimo. Nos enim tantum aberimus a methodo, quam usque huc adhibuistis, ut nisi saltem pauca de hac ratione et via dicam, timeam ut parum vobis constet quid assequi velimus atque in litteris latinis opera danda animo deficiatis.

Neminem sane vestrum latet hodie in orbe terrarum, nec non in his Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus, multa de tradendis exterarum gentium linguis litterisque, praesertimque latinis (nam quomodo tradendae sint litterae, quae nostrorum sunt temporum, fere omnes consentiunt) discuti atque disputari. Ego ipse et experientia inductus et auctoritate summorum virorum impulsus, methodum novam inducendam vel potius ad illam antiquam nobis redeundum esse in latinis quoque litteris jam diu mihi penitus persuasi. Per multa enim saecula in studiorum universitatibus, quae in Europa primum vertente millenio post Christum natum ortae, ibique statim mirum in modum floruerunt, quasi veritatis lumina libertatisque propugnacula atque universae humanitatis fautrices omnisque progressus fontes, usque in hanc aetatem splendidiores in dies factae sunt, latina lingua universae doctrinae vehiculum omniumque gentium ad occidentem solem spectantium vinculum exstitit.

Cum denique ineunte saeculo decimo sexto post Christum natum

Christianae unitatis atque caritatis vincula ac vires, lentius primum, deinde citius labefactari, denique exeunte saeculo superiore atque hoc ineunte paene omnino deficere coeperunt, tum Europa, quae civilis consortii mater et magistra per tot saecula fuit, bellis intestinis maxima sibi ipsi mala et ruinas intulit. Ham non quae universo humano generi communia atque utilia, sed quae unicuique genti ac nationi sua ac propria videbantur quam maxime colere et usque ad extremum persequi Europae incolae omnibus viribus conati sunt. Tum civitates, quae tot tantaque in philosophia, in re musica et mathematica et in fere omnibus disciplinis ad scientiarum copiam contulerunt, in summa miseria summoque dedecore jacere videres. Obtuso enim quodammodo in verum intellectus acumine atque in pietatem cordis sensu, nihil nisi quae suae gentis jura putarent, sese defendere ac tueri clamitabant; quae autem vere omnium gentium jura et officia, qui humanitatis est apex, omnino neglegere ac contemnere.

Unde accidit, ut summum jus in summam injuriam versum esset, ac populi gentesque, qui sua tantum tuebantur, aliorumque jura penitus neglexerunt, sese vicinosque suos in magnam ruinam una duxissent. Nam qui una in pace, quae omnium bonarum artium est mater, florere noluerunt, una in bello fere omnino perierunt.

Quorsum haec? Ut videatis commune linguae vinculum ac majorum vetusta instituta ac sapientissima documenta parvi facere et neglegere prudentium minime esse. Quae certe difficile intellegere possumus, nisi prius linguam eorum didicerimus.

Nunc quo propius ad rem nostram accedamus, quomodo litterae, quas «classicas» appellant, superioribus aetatibus ac nunc in scholis traditae sint videamus. Cum in Europa paulatim patriae amor in civibus plusquam aequum esset increvisset, quisque doctissimus omnia vernacule scribere et tractare coepit. Unde paulatim eo perventum est, ut latina lingua, qua in ludis atque in studiorum universitatibus antea omnes utebantur, postea pauciores, donec fere omnino neglegeretur; quin immo hodie latinae ipsae litterae a fere omnibus grammaticis vernacule traduntur. Scriptores latinos vernacule reddunt et vernacule redditos vernacule explicant magistri.

Nam dum verborum ac radicum prima initia (quae quidem utilia ubi eo spectant quo melius scriptorem intellegamus) diligentissime investigant ac fabularum reconditas origines fontesque in minimis illustrant dilucidantque, opus integrum parum aut nihil curant.

Nam in primis, ut scriptoris humanitatem ac mentem percipiamus, linguam, qua auctor sensus suos inclusit, perdiscamus necesse est. Quod nisi consequimur de recte intelligendis gustandisque litteris acutum est. Quamlibet scilicet linguam discere initio laboriosum nec non

taediosum; cum vero eam et legere et intellegere et loqui et scribere possumus, tum fructus dulcedines voluptatesque omnes excellunt.

Cum ergo a lingua latina in scholis adhibenda majores nostri paulatim abstinuissent, quamquam hoc recentius factum est quam quod plurimi opinantur, nec discipuli illam penitus didicissent, nec doctores latine facile loqui potuissent tum, magis magisque vernacula adhibita est et in commentariis et in libris, qui vel de latinis rebus agebant; ita in auditorium vernaculus sermo paulatim irrepsit donec latinam linguam omnino expulit. Nam quisque nostrum ea potius lingua utitur, quam potissime callet. Nihil ergo mirandum est, quod lingua latina omnino vernacule hodie in ludis tradatur, quin immo ne voces quidem latinae in nonnullis occasionibus alta voce pronuntientur, ut de versibus scandendis silentio praeteream, quae, ut non pauci doctores dictant, omnia inutilia jam ac vana censenda sunt. Nam non ad legendum aut ad recitandum aut ad loquendum, sed ad intellegendam tantum humanitatis ac doctrinae copiam, ut iterum eorum sententiam afferam, latinam linguam nos discere ipsi affirmant. Quae cum sane et vernacule tradi possit, latinarum litterarum omnino ignari fieri possunt, quod, teste experientia, plurimi et faciunt.

Quae quam falsa sint, quis non videt? Romani enim scriptores scripta sua diligentissime poliverunt, ut non modo ea quae dicere vellent, dilucida essent, sed etiam ut orationes concinnitate quam maxime pollerent.

Saepe quoque alios audias, qui latinis litteris miram quandam atque arcanam vim inesse, quam aut nullo modo vernacule reddi posse (quod quidem saepe verum est tamen hoc de aliis quoque linguis litterisque dici potest), aut quam ad intellegendam divino quodam intellectu lectores praeditos esse necessarium praedicent; alii denique eos, qui latinas litteras discant, omnia quodammodo sibi pervestigata habere atque universae humanitatis divitias consecutos affirment. Quod ad ultimum pertinet id tum aliquid in se veri continebat, cum omnia, quae ad doctrinam pertinebant, saltem in ea parte orbis terrarum, quae ad occidentem solem spectat, latine conscribebantur, tamen hodie et haec et similia inter fabulas releganda arbitror. Quaestio, ni fallor, cum de latina lingua litterisque tradendis discendisque agitur, non est, utrum hoc apud nos faciendum sit necne (quamquam multas rationes quae saepe adducuntur ad id comprobandum aut refellendum probare nequeo), sed potius quomodo hoc quam brevissimo temporis spatio fieri possit.

Cum mihi omnino jam diu persuasum sit, ut si volumus linguam quandam cito discere ea quam maxime in auditorio adhibenda sit, tum linguam litterasque latinas latine loquens vos docere statui. Nos eo

quidem vetere et prisco modo utemur, quo Romani pueri utentes linguam suam didicerunt, quo nos nostras. Nonnulla profecto mutabo, prout vestra aetas ac scientia suaserit, tamen plura ad methodum, quam naturalem appellant, accommodabo. Non enim puto linguam latinam difficiliorem quam ceteras, etsi eam plura alio modo exprimere ac nostras concedo. Difficultas, ni fallor, in eo est: reddere nostra latine eo quidem modo quo Romani ea redderent. Cum Romani sine dubio mortui sunt nec plura, quae postea inventa et inventa sunt, ullo modo exprimere potuerunt, ea nos, ubi omnino necessarium, latine ad mentem eorum, sicuti possumus, reddere debemus. Quod quidem difficultius est, quamquam in hoc quoque et Renatarum litterarum, qui scriptores elegantissimi fuerunt, et nostrorum temporum plures viri, et ii latinitatis peritissimi, nobis adjutores ac quasi duces erunt.

Hanc ergo difficultatem, quae tamen superari potest, agnosco, ceteras nequaquam. Nam latinam linguam discere et possumus et debemus. Non quidem illa usitatissima, proh dolor, methodo, quamquam absurda, ut latinam linguam vernacule loquentes docere conamur, sed latine et eo quidem modo quo discipulorum gradus suadet.

Ex hoc enim quod magistri vernacule latinam linguam docent, eo perventum est, ut ii, qui latinis litteris sex vel octo annos operam assidue dant, adhuc in ipsis intelligentis summopere laborent. Dum eas hoc modo tradiderimus, profecto eae jacebunt.

Nunc denique doctoribus linguarum, quae nostrorum sunt temporum, viam praemonstrantibus, ad rectam sanamque latinarum litterarum tradendi rationem atque viam reverti, ni fallor, coeptum est. Primi quidem gressus difficiliores, proximi vero faciliores, reliqui denique facillimi. Cur latine latinas litteras tradendas statuisse, vobis breviter ostendi, nunc vero quid de discendis linguis sentiam, qui termini ac fines in proposito sint, brevissime adumbrare mihi in animo est.

Primum penitus in mentem fingendum ac omnino sibi persuadendum est omnes linguas disci posse. Sunt enim ab hominibus inventae hominumque usui cottidiano accomodatae. Linguae populorum, qui ante nos fuerunt, in cottidiano usu atque ab omnibus civibus (quorum sane non omnes summo ingenio praediti fuerunt, in cottidianis commerciis adhibebantur. Nec eorum liberi nec cives exterarum gentium, qui apud eos commorabantur, nimiam difficultatem nacti sunt in ea discenda. Quod quidem verum esse experientia testatur. Nam hodie quoque ii, qui nostrorum temporum linguis operam dant apud exterarum gentes per aliquod tempus commorantes, cito populorum linguam moresque discunt. Quin immo cum ipsi juvenes sint, ita eas discunt, ut nullo modo ab indigenis ipsos distinguas. Hoc enim modo non solum lingua ac litteris citissime optimeque imbuuntur, sed ingenium quoque

ac mentem cuiuslibet populi apud quem versantur penitus capiunt atque sua faciunt.

Quod ad linguam latinam ac litteras pertinet, hoc manifesto fieri nequit, hoc est ut ii, qui latinam linguam discere volunt, apud populos latine loquentes vitam agant: nulli enim nunc temporis dantur, qui latinam linguam in cottidiano usu commercioque adhibeant, exceptis forsitan nonnullis coenobiis studiorumque universitatibus. Quamquam in hoc quoque nonnullae studiorum universitates, nostrorum sane temporum linguas litterasque tradentes, viam praemonstrant. Nam in «viventibus» linguis, ut eas appellant, docendis, plura utilia nuperrime invecta sunt. Audivimus enim alios cubicula seligere, ubi auditores qui peregrinae linguae incumbunt, omnino semperque illa uti nec non in triclinio, ubi una cum praceptoribus cenant, familiarissime colloqui, denique et in spectandis cinematibus, pluribusque aliis modis, quos humana ingenuitas excogitare audet opportunitatem sibi parare quo citius rectiusque linguam discant.

In latina lingua, quis hoc neget, res aliter sese habent, tamen, ni fallor, plura optima a praceptoribus grammaticisque quos supra memoravi, nos discere et mutuare posse. Nam in discendis linguis multa omnibus communia esse arbitror, quamquam sunt qui et hoc negent. Omnes enim linguam nostram simili modo didicimus: id est primum eam didiceramus audiendo. Infans matrem audit eandemque imitatur atque ita sermonem ejus suum facit. Ex quo sequitur ut, teste natura, audiendo linguam didicerimus nostram similiterque, mutatis mutandis, tradere eam debeamus. Mater voces profert, quas infans imitando conatur reddere sicuti potest. Quod quidem primum non tam recte facit, postea vero in dies melius, donec matris sonum integrum reddat. Non ergo audiendo tantum, sed et loquendo linguam discimus, et citius quidem et rectius: nam alterum alterum complet perficitque.

Aliud accedit elementum in discenda lingua, id est visus. Nam cum bona mater aliquid infanti nominat, hoc rem ei ostendens facit. Hoc modo puer jungit rem et vocem et quid quaeque vox valeat discit. Huc cantilenae fere innumerae, quae apud omnes orbis terrarum gentes cantantur, spectant. Nam tales sunt, ut aut membra artusque corporis humani aut actus indicent. Quae enim sensibus percipiuntur, facilime ostendendo intelliguntur.

Novissimum denique adjumentum in discendis linguis frequens scriptio est. Nam si volumus scribendi artem acquirere et perficere necesse est, ut diurna nocturnaque manu libros optimorum scriptorum versemus eosdemque nostris verbis ac stilo latine rursum reddere conemur.

Paulatim omnia omnino nostra latine reddere poterimus; ars tamen

longa. Cottidiana scriptio et diligens hoc quoque efficit quo emendatius, dilucidius et accuratius loquamur.

Quae vera esse non solum sensus communis a quo longe aberrare semper periculosum, sed etiam nostrorum temporum psychologia, quae facilius homines discere testatur eas res, in quibus plures sensus sese corroborent, nos docet.

Haec fuerunt quae praecipua de ratione et via dicenda habui, nunc vero ad litteras ipsas redeamus.

**BOLESLAUS Povsic**

Litterarum Latinarum Professor

In Studiorum Universitate Griniensi

In Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus

HYMNUS IN DIVUM JOANNEM BOSCO  
ANNO CENTESIMO QUINQUAGESIMO  
AB EJUS ORTU

Te membra tollens de tepido, Pater,  
lecto salutat mane novo puer,  
cui saepe sub divo morato  
hospitium atque cibum dedisti.

Versans tenaci forcipe daedalum  
incude ferrum, dum celeri strepit  
motu rotarum usque officina,  
te, Pater, aequa opifex salutat.

Qui messis arvis vimine spiceae  
vincit maniplos, te roseis memor  
ornat coronis in sacellis  
rusticus, atque vocat benignum.

Praecepta discit qui veterum puer,  
qui inventa novit mira recentium,  
ludis tuis neconon magistris  
usus, agit tibi rite grates.

Quae terra nondum nomine personat,  
quavis remotis litoribus, tuo?  
Quae immanis usquam te audientem  
non didicit regio precari?

Quas Phoebus oras lustrat equis vagus,  
obtenta rumpens nubila fulgidus,  
illae tuum, aerumnas gementes,  
auxilium petiere cunctae.

At quo parasti hoc imperium modo,  
quod nullus unquam rex habuit potens,  
subjecta qui saevus cruento  
regna sibi peperit rubenti?

Christi perussit pectus amor tuum,  
 quem flagitasti tantum animas tibi,  
 quae vulgus insanit superbū  
 omnia despiciens inepta.

Quare Deus dein innumerabili  
 te ditat usque prole sequacium,  
 quos is recenset qui marinas  
 temptet item numerare arenas.

Namque e repostis divitiis pius  
 partem tibi ipsi deligis optimam  
 quae furibus numquam auferetur  
 nec tineis terebrata cedet.

Ut laeta campis floret in uvidis  
 arbor, comas seu candida populus,  
 densis cupressus sive ramis,  
 seu platanus sata propter undas,

norunt aves illam bene garrulae,  
 illam atque deversoriolum sibi,  
 fecere, vivax semper ardet  
 cantibus et scatet arbor alis,

sic mitis omnes colligis undique  
 lassos fatigat quos juvenes fames,  
 ac pane firmatos tepenti  
 deinde foves gelidos in aula.

Te semper ergo turba loquacium  
 circumstat adsuetum juvēnum jocis,  
 laetis domus fervet susurris,  
 utque avium resonat catervis.

Omnès requirunt te juvenes patrem  
 pravis fugantes crimina cordibus,  
 fumosa sordet jam taberna,  
 jam miseri potiora quaerunt.

Complexus omnes corde tuo foves  
quos Christus aegros dat pueros tibi,  
nec te pavent durum magistrum  
saeva supercilios minantem.

Ignota quin tu gaudia cordibus  
accendis, ultro te socium facis  
ludis, severis impotentem  
frontibus atque fugas dolorem.

Nunc rursus oblitas iterant preces  
quas mater infantes docuit pia,  
atque ante erat quae ignava, discit  
nunc operosa manus labores.

Mirum! Rapaces sollicito lupi  
ardore mitescunt teneri tuo.  
Custode jam solo trecenti  
vincula te pueri relinquunt.

Denso propinqui collis et agmine  
gressu volucres summa cacumina  
scandunt, te inadsueta fruentes  
laetitia comitantur omnes.

Procul recedunt vincula, liberi  
paulisper, acres aera pectore  
ducunt cavo, tecumque panem  
floriferam minuunt per herbam.

Ut noctis umbrae desuper imminent,  
pulsata linquunt culmina montium,  
omnes, et uno te secuti  
agmine vincla petunt libenter.

Quis te beatum jure negaverit,  
cujus juventa floruit integra  
mortalis aetas, ac corona  
emicuit juvenum decora?

Cum sol remotas attigit igneus  
oras, rubenti lumine et aequori  
paulisper adrisit moratus,  
mox tremulas petit imus undas,

tunc Vesper alto primus in aethere  
lenis coruscat, quae superae prius  
orae tenebantur tenebris  
lumine nunc tremulo refulgent,

ast ille sensim dein nova sidera  
accendit, astris donec et ultimus  
ardet polus noctem per altam,  
floribus aethereis renidens,

caliginosa cum opprimitur tua  
gens nocte, fulges sidus in aethere  
et suscitas tecum paratos  
ferre pericla operum sodales.

Qui luce lustrant nunc etiam tua  
exculta pridem germina jam tibi,  
ac fulgidam tradent vicissim  
lampada post aliis ferendam,

dum saecla sensim lapsus ad ultima  
commissus olim grex juvenum tibi  
ad regna cunctus per sequaces  
perveniat duce te beata.

Prof. THEODORUS CIRESOLA  
Viale Brianza n. 22  
MEDIOLANI (Milano) in Italia

# EUROPA, QUANDO COALESCES IN UNUM?

Saeculum a. Chr. n. sextum summi et Europae et mundo toti momenti fuit. Fortasse quaeres ex me, cur hoc tam audacter dicam? Responsum in promptu est. Etenim non facta historica tantopere in culturam explicandam et evolvendam valere solent quam ingenia clarissima, quibus saeculum memoratum abundabat.

Florebant enim Mileti et Ephesi primi philosophi, qui viam philosophiae sternebant ejusque fundamentum ponebant. Florebat Thales, geometriae pater et legum naturalium explorator. Florebat Pythagoras, clarissimus vir mathematicus. Florebat Athenis Solon, poeta et homo in rebus politicis apprime versatus, cuius leges urbi patriae conditas etiam hodie admiramus. Florebant Alcaeus et Sappho, qui poesim lyricam nobis dedere. Condebat Cyrus Magnus Persarum regnum.

Florebant Zoroasthra, cuius dicta in unum redacta fundamentum religionis Persarum fuerunt. Conflabat Gautama Buddha, homo religiosissimus, qui religionis rationem creavit postmodum nationes integras amplexuram. Florebant denique in Sina Laotse et Confutse, quorum dicta politica et simul religiosa etiam nostra aetate valere non desinunt saeviente licet communismo.

Atque eodem saeculo templum praeclarissimum Artemidis deae in urbe Epheso et Apollinis Delphis erectum et Salomonis regis in urbe Hierosolymis est restauratum. Nec tamen constat viros illos clarissimos inter sese notos fuisse; sed per expeditionem Alexandri Magni factum est, ut cultura occidentalis imbueret et ditaret orientalem atque vicissim. Utraque subinde ad erudiendos homines plurimum contulisse dicenda videtur.

Cambyses, Persarum rex (529 - 521) primum imperium universale condidit finibus ad Aegyptum usque prolati, quod Alexander et amplificavit et lingua graeca artius continuuit. Romani fines hujus imperii etiam latius protulere et eadem lingua, eodem jure iisdemque institutis firmarunt. Sed tanti corporis moles sensim incursionibus gentium Germanarum labefactata tandem prorsus est dissoluta; propositum autem et memoria manebant ut ignis sub cineribus paene suffocatus.

Quod propositum et consilium Carolus Magnus, homo in rebus politicis plurimum versatus, exceptit, sed imperium bellis conflatum per leges Francorum hereditarias anno 843 in tres filios male est divisum. Inde fomes tot bellorum Germanos inter et Francos, quorum vestigia ne hodie quidem sunt deleta. Demum Otto primus, imperator vere magnus et perspicax, «regnum sacrum Romanum gentisque Germanae» condidit usque ad annum 1806 valitum et valuisset longius, nisi ejus

robur per principes Germanos intrinsecus et per Francos bellis continuis extrinsecus esset dilutum.

Conabatur quidem Bismark Borussus novum condere imperium, sed anno 1918 misere corruit et corruere necesse fuit, cum auctor ille «propositum europaeum» prorsus spreverit. Conabatur quidem legionarius iste Austriacus, «miles absconditus», mente paene captus, imperium «millenarium» restituere, sed totum fere terrarum orbem in suam traxit ruinam.

Interea saeculum nostrum aliam induit faciem. Exortum videmus rationem seu sistema horrendum communisticum, cuius tessera ab ipsa origine est mundum universum et imbuere principiis communisticis et in suam redigere dicionem. Jamque, cum armis terrificis atomicis polleat, orbi terrarum impendet interitus, nisi contingat ut civitates Europaeae in unum coalescant. Nam nulla jam civitas per se stare et florere poterit sola nisi fulta et roborata a reliquis.

Quod viri aliqui, rerum politicarum perspicaces, bene cognovere. Quare inde a bello confecto 1945 Schumann, de Casperi, Spaak et Adenauer id spectare et agere coepere: ut Europa misere distracta belloque exhausta in unum coniungeretur. Quod conamen, etsi plura obstabant, proficere videbatur. Pessime autem accidit ut consilium per Francos 1954 irritum fieret. Restat igitur sola spes, quamvis futile. Dixi «futile», cum interea Sina scaenam politicam sit ingressa. Sina regnum tam antiquum, civibus abundans et cogitatis communisticis imbutum jam non est res contemnenda.

Ipse Napoleon primus, vir clarissimus et rerum humanarum tam perspicax, aliquando dixit: «Dormit adhuc leo Sinensis, sed ubi e somno erit experrectus, terrarum orbem totum labefactabit». Fines imperii Sinensis angustiores videntur, quam ut populus tam numerosus bene nutriti possit. Inde facile accidet, ut duces clarissimi Mongoliam sibi injuste ereptam a Russis reposcant. Ecce belli futuri initium! Quod Deus avertat!

**N. MANGEOT, S. J.**

44 Münster Sentmaring in Germania

# DE RE COSMONAUTICA

De temporum descriptione, quibus sunt cosmonautarum volatus effecti aut quorumdam specillorum artificiosique satellitis temptati jactus identidem inter aetheria spatia, nunc demum aliquid commone re videtur, cum propior certaminis exitus appareat. Cujus descriptionis autem antequam initium fiat, duarum regionum, Foederatarum nempe Americae Civitatum atque Russiae, praestantium quorundam virū res gestas commemorare liceat; qui, capso quodam inclusi, invicto animo itinera per inania aggressi sint. Cosmonautae russici, itaque, qui primus hujusmodi rerum auctor fuit, memoriam revocem oportet; aliorum deinceps non minoris momenti mentionem faciam.

## PRIMUS AERIUS VIATOR

*Perspectae rerum naturae, ex ordine, multa  
Tantaque adhuc hominum sapientia prodidit usque,  
Ut nullum finem prope jam videantur habere.  
Nam nihil, afflatu divino praediti, obire  
Nunc homines renuunt: nunc imperiumque tenere  
Orbis totius penitus nituntur acerbe.  
Observans sapiens homo miri temporis hujus  
Consilium Dei, eo audacter pervenit, ut aethrae  
Obsessas violans ipsas reseraverit ille  
Secretasque fores. Ut cetera praeter eamus,  
Christi initis annis, ferme millesimus alter,  
Ipso vere novo, dum floribus induit agros<sup>1</sup>,  
En subitus rumor gentes percrebruit orbis  
Jam per extremas: super aethera sarmatica ortum<sup>2</sup>  
Stirpe virum, quo non praestantior alter,  
Audax quippe foret, nimis atque vigoris haberet,  
Quodam capso, aeratae arcae inserto, sed inertem  
Constrictum, catapulta, atomi vi acta, per inane  
Propulsum spatium, ter circumuisse globosam  
Hanc terram nostram: quasi jam non torqueat aether  
Fulmina, sed potius terra aequet fulminis oram.  
Non secus ac fulmen bis passus millis centum*

---

1. Pridie idus apriles, a. MCMLXI, primus efficitur volatus a russico cive.

2. Cosmonautae russico, cuidam aëriae classis coetui praeposito, nomen est Yuri Alexeievic Gagarin.

*Ille vir, haud longe minus, est provectus in altum<sup>3</sup>.  
 Ne stupeat quisquam quod et insuper ipsa trahendi  
 Pondera naviculam vim vel superasse liceret:  
 Quae tamen in terram quamvis sic lege ferantur<sup>4</sup>,  
 Quodam jam studio docti moderantur eandem  
 Pro justa vivendi hominum ratione et agendi.  
 Numquid idem, tantum post temporis, exstat et illud  
 Nomen Iasonis, ante alios quem gesserit unda?<sup>5</sup>  
 Num nomen superest his quos Jovis ignis adussit<sup>6</sup>,  
 Sedes cum fuerint ausi violare supernas?  
 Nobilis et nomen superest? Is, in aëre pleno<sup>7</sup>  
 Folliculo, terrae, et si sorte agitatus iniqua,  
 Axem transivit, quem sic plerique Boreum  
 Dicunt. Christiadum decus, auspice Pontifice, una  
 Cum gentis vexillo Italorum, in vertice mundi  
 Augustae signum Crucis altera ad aeva locavit.  
 Numquid erunt ejus memores cras forte nepotes,  
 Qui, cujusque atomi generis vi spatio nactus<sup>8</sup>,  
 Optandae pacis insidiis mortalibus obstat?  
 Has, igitur, gestas quascumque historia tradit,  
 Fabula vel nova, quis, tot praeter euntibus annis,  
 In mentem revocet? Numquid cujusque virorum,  
 Qui longe ac late semper gessere stupenda,  
 Nomina adhuc volitant hujus per temporis ora?  
 At quaecumque tamen bona sunt, hominique saluti,  
 Haec, tamquam perfecta fere divinitus, exstant<sup>9</sup>.*

3. Terram ter circumvolavit, biscentum milia passuum distans.

4. Lex quaedam de ponderum vi tractans, que nempe terra ad se res graves trahit.

5. Fabulosa Iasonis res gesta, qui primus, navi «Argo» vectus, Oceani aequora transivit, aureum vellus capturus in illa, apud Pontum Euxinum, regione, quae Colchis dicebatur.

6. Fabulosum Titanum luctamen, qui, Olympum petituri, Ossam montem super Pelion posuerint; sed praecipites Jovis fulminibus in terram dejecti fuerint.

7. Praeclara historiae res, quam Joseph Nobile, aëriae classi italicae praepositus, primus gessit, septentrionalem terrae verticem transvolitans (IV idus maj. MCMXXVI).

8. Ille adumbratur, quicumque deinceps aetheriis spatiis temptandis operam dedit.

9. Homo plerumque utilium tantum bonarumque rerum memoriam servat, et sic agendo sapiens esse videtur; nam, in hominum commodum Dei consilia perficiuntur. Quis enim russici civis Gagarin memoriam servet, qui, ex aëriis spatiis reversus, insolentibus ac stultis verbis, quae minime hujusmodi decent heroa: «Nullum omnino Deum - inquit - illic conspexi, quem Christiani regem esse coelorum aiunt»? Pace tua, tamen, Gagarin, dixerim utilia ac bona semper divinac sapientiae notam impressam habere.

Haec alia per inane itinera, temporum ordine, sunt primum deinceps secuta:

I. — Pridie idus apriles, a. MCMLXI: primus volatus inter spatia a Russia, vel potius nomine Faederatarum Russiae Civitatum, efficitur, quem jam supra, per carmen, commemoravimus; ejus auctor, cuidam aëriae classis coetui praeposito, nomen est Gagarin.

II. — Tertio nonas majas, a. MCMLXI: idem paene atque antea fit volatus ab americano cive Alan Shepard.

III. — Duodecimo kal. jun. a. MCMLXI: eundem paene volatum iterum americanus civis Virgil Grissom perficit.

IV. — Postridie non. augu. a. MCMLXI: russicus civis Gherman Titov eandem rem hoc gerit consilio, ut iter ipsum perficiat pluresque augeat orbes.

V. — Decimo kal. mart. a. MCMLXII: americanus civis John Glem non alias ac praedecessores iter facit.

VI. — Decimo kal. jun. a. MCMLXII: americanus civis M. S. Carpenter non alias ac praedecessores iter facit.

Ambo tamen complures augent orbes ut comprobent quomodo se gerant.

VII. — Tertio idus aug. a. MCMLXII: russici cives A. Nikolayev atque P. R. Popovic duplarem volatum efficiunt, alter altero capso inclusus.

VIII. — Quinto non. octob. a. MCMLXII: americanus civis Walter Schirra idem atque suae ipsius regionis antecessores iter redintegrat, compluribus tamen orbibus id augens.

IX. — Idibus majis, a. MCMLXIII: civis americanus Gordon Cooper, eandem ac praedecessorum viam rectius expertus, firmiores ac tutiores futuri temporis res gestas reddit. Aëriae suae naviculae nomen «Fides VII» ipse esse vult, ut ita profiteatur Dèo, prius quam suis ipsius viribus, omnino se confidere; cum russicus Gagarin contra, cuius mentionem supra fecimus, ad contemnendam Christianorum fidem, impudens nimium atque insolens, publice negaret se usquam tam vasti universi spatii Deum quemquam vidisse.

X. — Postridie idus jun. a. MCMLXIII: civis russicus Valery Fyodorevich Bykovsky, longius conficit iter, quamvis nihil novi, volatus quidem ratione atque arte, adjunxerit.

XI. — Sextodecimo kal. jul. a. MCMLXIII: mulier quaedam russica, vicesimum sextum annum agens, nomine Valentina Tereshkova, iter aërium aggreditur ut obviam concivi suo, Valery, biduo ante profecto, eat eumque conveniat.

XII. — Quarto idus octob. a. MCMLXIV: tres cosmonautae, russici natione, Vladimir Kmarox, cuidam aëriae classis coetui praepositus, Boris Yegorov, medicus, Constantin Feoktistov, naturalium scientiarum peritus, in eadem capsula inclusi, russico sermone «Voskhod I» —

italico «Aurora» nuncupata, iter hoc proposito aggrediuntur, ut longioris volatus condiciones, quoad corporis firmitatem, spectat investigent.

XIII. — Decimoquinto kal. april. a. MCMLXV: cosmonautae russici, Alexei Leonov et Pavel Belyayev, alter alteri aëriae classis coetui praepositus, in navicula, cui nomen «Voskhod II», inclusi, terram sedes circumvolant: quorum alter Leonov, e navicula egressus, libere per inane, nihil sui ponderis sentiens, perambulat, quod nunquam antea quisquam egerat; in naviculam, inde, cum quindecim temporis puncta sit in spatiis moratus, rursus ingressus, iterruptum recipit iter, quadraginta circiter stadia (vulgo, italice: circa otto km.), minimo quoque temporis punto, volatu percurrens, duobus milibus fere stadiorum (vulgo, italice: 400 km.) a luna interjectis.

XIV. — Decimo kal. april. a. MCMLXV: americanici cosmonautae, Virgil Grissom et John Young, terram ter circumeunt; id autem novi experti, si forte nempe et quomodo aërius viator, nulli terrigenū potestati obnoxius, coelestem cursum aliquando, si qua gravis res quidem postulet, mutare possit: quod numquam antea quisquam est profecto expertus.

XV. — Tertio nonas jun. a. MCMLXV: americanici cives, James McDivitt et Edward Whit, in aëria capsula, cui nomen «Gemini IV», eodemque capso inclusi, ingenti ignea propellente vi, inania pervehuntur, ut, sexages bis terram circumeant, sexies et vicies centena milia km. (vulgo, italice: due milioni e seicentomila km.) fulmine ocius percurrentes. Dum terram ter circumit, cosmonautarum alter, Edward Whit, e celulla egressus, in spatia quodammodo mergitur, ibique viginti circiter temporis puncta moratur, per se ipse perambulans, nulli externo imperio obnoxius, machina quadam, seu «manuballista» —ut vulgo dicitur— «motoria» praeditus; qua nemo unquam, profecto, est antea fruitus. In cellulam demum, iterum iterumque invitatus, rursus ingreditur. Quattuor, autem, peractis diebus, iidem cosmonautae Oceani aequora ipso, quo jam antea statutum, loco, petunt. Ubi primum terrae continentis oras tangit, alter eorum, Mc Divitt, catholica fide imbutus: «Quam vehementer —inquit— vehementius etiam, ut numquam antea, Deum sensi providentem adfuisse mihi!» Mox autem dominicas preces, ceu «Pater noster, qui es in caelis...» pronuntiat quam sapientissime, hoc modo, russici Gagarin opprobriis respondens.

XVI. — Duodecimo kal. septemb. a. MCMLXV: cellula, cui nomen «Gemini V», secum intus habens americanos cives Gordon Cooper et Charles Conrad, in aetheris spatia invehitur, quae, octo integris diebus, terram vicies et centies circumit, plus quam quinquagies centena milia km. (vulgo, italice: più di cinque milioni di km.) percurrentes. Quae res gesta cunctas prorsus, quae antea alii perfecerint, superasse videtur.

XVII. — Pridie non. decemb. a. MCMLXV: aëria cellula, cui nomen «Gemini VII», quam et suis ipsorum manibus americanus Frank

Borman et James Lovell moderantur, terram circumvolandi initium capit. Nonum post diem, altera cellula, cui nomen «*Gemini VI*», quam et priorum comites, Schirra et Stafford, moderantur, idem aggrediuntur iter, obviam illis euntes, ut eosdem conveniant (quod franco-gallico sermone «rendez-vous» vulgo dicitur). Ut est jam antea propositum, optime id fit. Numquam antea evenit ut quattuor cosmonautae eodem simul versarentur loco. Nec, ceterum, cessat alterius cellulæ volatus, sed in alios quinque dies pergit, donec Atlantico mari, ante statuta area, ipsa adluatur. Quattuordecim integros dies per inania aetheris nunquam antea quisquam transegit.

XVIII. — Tertio non. februar. a. MCMLXVI: hora post meridiem octava, nuntius radiophonicus e Russia regione diffunditur: specillum (vulgo, italice «sonda») ad lunae oras appulisse cum nec, ut quater antea factum esset, diffinderetur aut mergeretur. Quod quid reapse profuerit nemo cognovit.

XIX. — Quintodecimo kal. april. a. MCMLXVI: cosmonautae americani, Neil Armstrong et David Scott, id primi temptant, ut aëria cella, «*Gemini VIII*» nuncupata, quam ipsi moderantur, cum missili «*Agena*» dicto, pridie in aethereum spatium vecto, conjungatur. Cella optime quidem in missile inseritur; sed vix post horam, prae machinulae vitio, qua eadem cella propulsanda erat, cosmonautarum alter, Armstrong, operam dat ut illam e missili expediatur. Itaque, altera rei gestae pars, quod vere in aethereis spatiis cosmonautae aliquandiu versentur, quorum alter libere per inane plus quam duas horas vagetur, effici jam non potest.

XX. — Tertio non. april. a. MCMLXVI: primum absolute, ex quo aetherii investigandi spatii studia percrebruerint, specillum a Russia invehitur, quod adhuc lunam circumvolat. Id vere propositum: ut lunaris faciei imagines quam plurimas, luce impressas, idem in terram mittat.

XXI. — Tertio kal. jun. a. MCMLXVI: machinula, seu specillum, «*Surveyor I*» dicta, ad lunam versus propellitur, ejusdem superficiem temptatura. Ipsa est capsula praedita, quae, lucis ope, multas imprimat imagines ad terram mittendas.

Mirum id iter sexaginta tribus horis efficitur; multa milia lunaris soli imaginum impressa attente sunt hujusmodi rerum peritis videnta: quorum studio jam evincitur ut lunae solum nec mollius prorsus nec solidius aestimari possit.

XXII. — Tertio non. jun. a. MCMLXVI: cosmonautae americani, Thomas Stafford et Eugene Cernan, iter ad conveniendum vehiculum per aetheris spatia aggrediuntur, missilis vi, cui nomen «*Titan*», propulsi. Cum ad vehiculum pervenerint post duarum horarum iter, ter illud conveniunt: qui congressus sermone franco-gallico «rendez-vous» significatur; in ipsum tamen se inserere nequeunt ut antea praevisum. Postridie, cosmonautarum alter, Cernan, e capsula «*Gemini IX*», qua

clausi ambo adhuc morantur, egressus, per inane spatum plus quam duas horas perambulat, omni solutus vinculo, tubo tantum fruitus, qui spirabilem aëra suppeditet. Postquam, septuaginta duabus exactis horis, quinques et quadragies terram circumivit, cosmonautae, incolumes, una cum capsula ad Oceani aequora redeunt, ipso fere loco, quo est ante statutum. Duplex iter, et machinulae «Surveyor I» et capsulae «Gemini IX», rectius sidereae disciplinae profuit quam cetera quaecumque ante confecta.

XXIII. — Quintodecimo kal. aug. MCMLXVI: cosmonautae americani John Young et Michael Collins, capsula inclusi, quam «Gemini 10» appellant, in aetheris spatia eo sunt propulsi consilio, ut satellitem, vix duas ante horas projectum, cui nomen «Atlas Agena», persequantur et convenient; quin etiam ipsa capsula erit adeo satellitem subitura, ut plane in eo inhaereat; mox, soluta, rursus altero inhaesura satellite erit, cui nomen «lepus», jam quatuor ante menses projecto et adhuc circa terram se ferenti. — Per aetheris, praeterea, inania, unam fere horam, deambulandi arduum cosmonautae sibi suscepserunt pensum. Tridui totum praevisum iter. — Quae omnia, enim, consecuti, iidem John ac Michael, exacto triduo, una cum capsula Oceani prius aequora, mox Americae solum petunt.

Nec prior, itaque, nec par amplius in re cosmonautica, ut hactenus, Russia aestimari potest, praecipie cum septingentos sexaginta km. in altitudinem, ut nunquam antea quisquam, se americanii viatores sustulerint.

Recentiores, postremo, machinarum volatus quoque celebrare licet, quippe qui utilissima proficiendis rei cosmonauticae studiis indicia praebuerint.

#### LUNARE RUSSIAE SPECILLUM<sup>10</sup>

*Lunae num faciem cesses temptare supernam  
Quadam machina, adhuc tu studiose poli?  
An lunae lapides ictu fregisse specillum<sup>11</sup>?  
Forte putas valido? Nil tibi triste nimis!  
Pulveris aut, ingens quasi venter, densus acervus,  
Suspicias, illud sorbueritne vorax?<sup>12</sup>*

10. Tertium jam annum Sarmatiae (Russiae) astronomiae peritissimi quandam machinam vel specillum (vulgo, italicice: «sonda») iterum iterumque ad lunam versus propulerunt, temptantes si forte in ejus leviter appelleret oras; sed infaustum adhuc exitum obtinuerunt. Nihil, ceterum, est dubii quin ipsi quandam machinam in lunam quam primum conlineent.

11. Modo studiosi dixerunt specillum gravi ictu in saxosam lunae superficiem offendisse et extremam fecisse ruinam...

12. ...modo (dixerunt) ingenti pulveris acervo absorptum illud penitus fuisse.

*Nil te deficiant vires, si quando fefellerit  
 Machina, si remeant corpora prima polum<sup>13</sup>.  
 Exspectes sicubi in lunae sese applicet oras:  
 Serius aut citius quid tibi profuerit?  
 Cui tamen id prodest consumere ponderis auri?  
 Quidnam luna sua reddere parte potest?  
 Exspectes dum lunigenae de pulvere surgant?  
 Terrigenas, contra, nonne juvare decet?<sup>14</sup>*

LUNARE AMERICAE SPECILLUM<sup>15</sup>

*En, igitur, nova jam lunae secreta retexit  
 Machina nunc demum? Fabula ludet adhuc?  
 Quamdiu, enim, pueris oculos facilesque juvenae  
 Aures implevit! Quamdiu et umbra soli  
 Et lux tristis imago fuit jam visa Caini!<sup>16</sup>  
 Ampullas heros hinc cerebri hausit inops!<sup>17</sup>  
 Nunc tacitae lunae quis crederet, at immo bicorni?  
 Virginis ejus adhuc ora poëta canet?  
 Alma inventa canet. Sapientis at usque poësis!  
 Sarmaticum genus et quos America gerit  
 Aerios ludos canet: haud jam munera Martis!  
 At lunare solum lene quis ante premet?  
 Haec monet, interea, jam machina missa per aethram:  
 Sunt simulacra soli multaque lucis ope  
 Milia signa data: est aliquid mirabile visu:<sup>18</sup>  
 Prae nostris oculis ejus imago patet!  
 Firma quidem, solida et, si non compacta videtur,  
 Est lunae facies pervia summa tamen;*

13. «...corpora prima» = quae ex machina, in partes minutissimas scissa, efficiuntur.

14. Hoc proponitur praeceptum: nonne melius succurrere egentis, quorum in dies magis ac magis est frequens terra, quam ingentes profundere nummos in temptando si forte ad lunam appelli possit?

15. Machinula quaedam, instrumentis praedita, quibus si forte pervia sit lunae superficies temptetur.

16. Caini fabula, spinarum fasces in humeris gerentis et super lunae faciem errantis, jamdiu pervulgata fuit; nunc autem puerilis admodum, quae nemini credibilis esse possit.

17. Qui fabulae oblitus esse potest, quae ab Ariosto poeta narratur de Orlando, medii-aevi equite, qui compos sui redintegratus sit, cum praecipuum cerebri naturam, jam antea amissam, de ampulla hauserit quam Astolpus, «hypopogripho», seu alato equo, vectus, in lunari regione invenerit?

18. De lucis umbraeque complexu agitur, quo imagines imprimuntur, graece «photographicae» dictae.

*Hic rimosa soli pars, hic, quasi spongia, rara;  
 Usquam prorsus humi est area nulla virens.  
 Capsula ab obscura nobis est talis imago,  
 Machinulae insertā, redditā lucis ope.  
 Machinulae ejusdem sed tertius infra in hiatu  
 Plus quam pes premitur tres digitosve duos:<sup>19</sup>  
 Constitit illa tamen, lunae impressura figuræ:  
 Vix durum, indicium, molle nec esse solum.  
 Sive plagae surgunt, ita, sive premuntur ubique,  
 Numquid terrigenis hic habitare licet?  
 Nonne cavos montes homines ab origine lustrant?  
 Non temptare specus vel terebrare solent?  
 Non cautes superare solent luteasve paludes?  
 Quin aliud temptet fortis abhorret homo?  
 «Nullus —ait— miles graviter vestigia ponat,  
 Ulla nec armigeri munera Martis agat;  
 Nec tormenta strepant, chalybis conflata metallo,  
 Aut atomi vis ne funeris arma ferat.»  
 Haec ait, atque micans nosmet, non aemula nostri<sup>20</sup>,  
 Candida luna monet. Corde quis ista capit?  
 Foederis interea vexilla America reliquit,  
 Multis sideribus quae decorata nitent<sup>21</sup>:  
 Russiae et illa recens forsan cum malleo ibidem<sup>22</sup>  
 Pictaque falce latent signa colore rubro<sup>23</sup>.  
 Ut gentis vexilla vibrent utriusque per aethram<sup>24</sup>;  
 Vincat utrumque quidem, sit modo pacis amans;  
 Incola sit lunae novus iste vel ille viator:  
 Victor agonis erit, vera tropaea feret,  
 Cui Natura quidem videatur daedala Mater,  
 Esse tamen Sapiens at Pater ipse Deus!*

Prof. JANUARIUS MARINELLI  
 Via Salvator Rosa, 241  
 NEAPOLI in Italia.

- 
19. Duo vel tres digitæ idem significant ac quinque centesimæ communis mensuræ partes (= centesima «metri» pars).  
 20. Luna, placida ac serena, minime terrigenū mores aemulatur.  
 21. Foederatarum Americæ urbium vexillum.  
 22. «Recens» = pro adverbio habeatur.  
 23. «Falx et malleus» = Russiae vexilli notæ peculiares sunt.  
 24. «ut» = pro concessiva conjunctione sumatur.

# HORIS SUBSICIVIS

## DE CONSTANTIA

Fortis animus sine aequalitate et constantia nullus esse potest. Fortis autem animus est, qui sibi semper constat optime, qui a sententia aegre discedit aegreque mutat consilium; cuius mentem huc et illuc, in hanc vel illam partem non facile traducas, ita ut non magis solem —ut aiunt— a suo cursu, quam ejus animum ab aequitatis studio deflectas. Quandoquidem eum nec prospera fortuna effert, nec adversa infringit, nam pulcherrime casus omnes et laetos et infaustos subire noverit. In eum re vera fortunae nihil juris est, quippe qui nec prosperis rebus insolecat, nec adversis frangatur unquam, sed eodem vultu res omnes constanter excipiat.

Xantippe de Socrate marito praedicare solebat se semper vidisse illum eodem vultu revertentem domum, quo exierat. Argumentum vere constantis animi: cum alii domo egressi, si quid accidit triste, redeant turbidi; si quid laeti, gestientes<sup>1</sup>.

Horatius autem, loquens de homine qui sibi constat quique virtutis praeceps est bene meritus, ait eum aequo animo res tum adversas tum secundas ferre solitum semper:

*Sperat infestis, metuit secundis  
Alteram sortem bene praeparatum  
Pectus<sup>2</sup>.*

Fortunam vero, cuius volubilis rota versata semper fuit, quaeque numquam eodem diu vestigio stetit, omnino parvi pendit, nam persuasum habet, quod hodie fortuna levat, crastinum in ima deiciendum esse:

*Quicquid in altum  
Fortuna tulit  
Ruitura levat<sup>3</sup>.*

At vero, constantia non modo aequanimitatem suadet, verum etiam hominem monet et quasi manu dicit ad officia erga suos adimplenda, et ad munia facile obeunda. Praeclarum illud Diogenis: cuidam momenti ut jam senex quiesceret a laboribus, «Quid —inquit— si in stadio currerem, utrum oporteret jam metae vicinum cursum remittere an

---

1. DIOG. LAERT. VI, 2,1.

2. Od. II,10,13-15. Idem rursus alibi: Od. IV,9,34-36:

*Est animus tibi  
Rerumque prudens et secundus  
Temporibus dubiusque rectus.*

3. SENECA, Agam. 101-103.

magis intendere?» Recte sensit. Virtutis studium hoc magis et constanter intendendum, quo minus superest vitae: quod turpe sit tum ab honesto instituto refrigescere<sup>4</sup>. Agis autem cum in carcere rogaretur ab Ephoro, num poeniteret eorum quae gessisset, impavide respondit: se nulla tangi poenitentia consilii cum prudentia honestoque conjuncti, tametsi non ignoraret, se mortem praemii loco relaturum; cum sciret ipsam virtutem abunde magnum esse sui praemium, quicumque sequeretur eventus<sup>5</sup>.

Certe, ut statua in sua basi, vir virtutis studiosus, bono proposito nixus, immotus usque manebit. Ne pigeat hic producere exemplum illud Catonis Uticensis, qui, cum deploratis rebus amici hortarentur ut ad Caesaris clementiam confugeret, respondit victorem esse, et eorum qui deliquissent, supplicare; Catonem nec victimum nec captum esse, qui se per omnem vitam invictum praestitisset Caesaremque honestate justitiaque longe superasset; Caesarem potius victimum captumque esse, qui bellum quod diu negasset se moliri adversus patriam, nunc id egisse convictus esset. Proinde pro se Caesarem orarent qui vellent, pro Catone neminem orare debere<sup>6</sup>.

Sed haec animi constantia, quae semper in sententia constat sua, ac de gradu dimoveri non potest, non unquam homines ad mortem usque ducere solita est. Viri ejusmodi, qui casus contempserunt humanos, susque deque res hujus temporis tulerunt, nihil quod homini accidere posset, intolerandum putarunt. Sic Zeno dicere solebat facilius esse utrem inflatum mergere, quam quemvis probum virum invitum ad aliquid agendum cogere. Nam invictus animus rationis rectae placitis confirmatus, cedit nemini. Et cum Anaxarcus a Nicoreonte Cypri tyranno in saxo concavo tunderetur, philosophus animo infractus: «Tunde, tunde Anaxarchi vasculum, at Anaxarchi constantiam non teris.»

Ceterum, notum est illud rarum constantiae monumentum, quod memoriae proditum est. Cyania profecto urbs paeclari exempli faciem praetulit, quem sibi omnes documento sumant oportet. Decius Brutus, M. Bruti patruelis, cum contra Antonium in Hispaniam exercitum duxisset, totamque Lusitaniam subegisset, excepta Cyania urbe,

4. DIOG. LAERT. VI,3,2. Cf. etiam OVIDIUM de virgine Polyxena Achilleis manibus mactanda: Metam. XIII,451,457 sqq.:

*Fortis et infelix et plus quam femina virgo  
Dicitur ad tumulum diroque fit hostia busto.  
Utere jamdudum generoso sanguine, dixit;  
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset.*

5. PLUTARCH. Apoth. II,12. Vide quoque Lucan. V, 658-659:

*Intrepidus, quamcumque datis mihi, numina, mortem  
Accipiam.*

Item VERGIL. Aen. IV,449 sqq.:

*Mens immota manet; lacrimae volvuntur inanes...*

6. PLUTARCH. in Caton. 3.

quae magna constantia arma retinebat, redemptionem tentavit. Sed cives urbis omnes uno ore Bruti legatis constantissime responderunt, sc̄ a parentibus ferrum bellicaque instrumenta accepisse, quibus urbem tuerentur, non aurum vel quicquam aliud, quo libertatem ab aliis emerent. Haec civitas toto pectore suasque huc vires omnes conferebat, nequid adversi ejus dignitas pateretur. Quod quidem sua praestantia mirandum in modum praestitit<sup>7</sup>.

Exstant et alia constantiae summae exempla celeberrima, quae quidem huc afferre parcam, ne lineam modumve transilire videar. Duo tantum insuam.

Facit Silius loquentem de Roma Fabium cunctatorem, qualis illa ipsius Silii tempore erat. Dicitque «Nullaque nunc stares terrarum vertice, Roma», quod Fabii tempore nondum stabat vertice mundi. Hanc autem orationem Fabius dictator habuisse fingitur, cum Minucio equum magistro sibi inviso, qui imprudenter in pugnam irruerat, opem ferre statueret «succensere nefas patriae» cogitans<sup>8</sup>. In hunc ergo modum Camilli constantiam exprimit:

*Quantus qualisque fuisti,  
Cum pulsus lare et extorris Capitolia curru  
Intrares exsul! Tibi corpora caesa, Camille,  
Damnata quot sunt dextra! Pacata fuissent  
Ni consulta viro mensque impenetrabilis irae;  
Mutassentque solum sceptris Aeneia regna  
Nullaque nunc stares terrarum vertice, Roma.<sup>9</sup>*

Alterum idem Silius nobis suppedidat. Cum Porsena, rex Clusinorum, bello pro Tarquinio suscepto ad Janiculum venisset, ne Tiberim transiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus est; qui, dum alii pontem sublicium rescindunt, solus Etruscos sustinuit et, ponterupto, armatus se in flumen misit et ad suos tranatavit<sup>10</sup>. Ita Silius Horatii Coclitis constantiam adumbrat:

*Tulit ille ruentem  
Thybridis in ripas regem solusque revulso  
Pone ferox ponte exclusit redeuntia regna<sup>11</sup>.*

7. Cf. BRUT. ex PLUTARCH. II,2. Consule etiam OVIDIUM, qui eleganter canit: Trist. V,4,15-18:

*Fert tamen —ut debet—, casus patienter amaros,  
More nec indomiti frena recusat equi.  
Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram,  
Conscius in culpa non scelus esse sua.*

8. Cf. LIV. XXII,29,3.

9. VII,557,sqq. Aeneia, id. est, Romanorum ab Aenea originem ducentium. Stares terrarum vertice, i.e. caput terrarum non esses.

10. Ita rem narrat plus minus LIV. II,10.

11. SIL. ITAL. XIII,726-728. Dicit redeuntia regna pro redeuntem regem, Tarquinium, cum Porsena.

Haec constantiae specimina antiqui nobis reliquerunt. Sunt et alia multa, quae si quis omnia recensere velit, oratio sane longior, quam par sit, evadet. Haec ergo sufficient. Tu autem mores ex moribus fingito. Decet siquidem majores imitari pedemque in eorum vestigia ponere. Perseverantiam colito. Aequali semper tenore sis, ut omnibus in rebus nulla vi labefactari constantia tua possit, adeo ut te nec in secundis rebus laetiorem quisquam videat nec in sinistris tristiorum.

Deinde assiduitatem factis usque praestato. Hesthaeus ille philosophus gloriabatur aliquando, se numquam orientem, aut occidentem solem vidiisse, quin semper disciplinae esset intentus<sup>12</sup>.

Nec tibi est desperandum, si ingenium tibi non suppetat. Illud memento: «gutta cavat lapidem, non multum sed saepe cadendo». Assiduitatem igitur adhibeas, et hastam, ut ita dicam, abicere noli. Arbor per primum quaevis non cadit ictum, sed est arbor dura decies ferienda casura. Assiduitatem dico, non autem praecipitationem, nam sicuti Aquilo initio vehemens, desinit lenior, contra Auster initio lenior, desinit venementior: ita qui praecipites magno impetu rem aggrediuntur, frigescunt progressu; contra qui consilio suscipit, magis accenditur operis progresu. Aliis verbis, ut ait Plinius<sup>13</sup>: «sicut canis properans in emittendo, caecos parit catulos, ita praecipitata opera non possunt esse absoluta».

Quae quidem omnia, si pro re nata persolveris, dubio procul, quem optabas tuis rebus exitus continget.

L. M. SANSEGUNDO, O. S. B.

Montiserrati ad Barcinonem in Hispania.

12. Cum Asdrubal, Carthaginiensium dux, in Hispania Tagum, virum formem ac nobilem, in cruce suffigi jussisset, diro robore suspensi famulus clam corripit ensem, irrumpit in aulam et geminato vulnere Hasdrubalis pectus perfodit. Haec eleganter prosecutur SILV. ITAL. I,169 sqq.

Dein fama erat Hannibalem annorum ferme novem a patre altaribus admotum tactisque sacris jurejurando adactum esse, se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. Hannibal's constantiam diserte describit idem SIL. ITAL. III,138 sqq.

Ad haec HORATIUS FLACCUS De Reguli constantia canit in Od. III,5,41-56. Cf. CIC. De Offic. 3,27,46 et Just. 3,4,2. Vide quoque De Scaevola MART. I,22 et LIV. II,12 et 13. Adde, sis, FAB. HYGIN. 171 sqq.

13. Cf. Athenaeus. VI,3. De assiduitate, sicuti etiam de diligentia, industria ac labore veneranda Antiquitas exempla quam plurima nobis legavit, quae alias, si Deus dederit, persequar. Prout nunc est, lege quid dicet Ovidius de assiduitate in rebus incoepitis: Metam. IX,615-616:

*Nec taedia coepit  
Ulla mei capiam, dum spiritus iste manebit.*

# B I B L I O G R A P H I A

BERGMANS, J. ET STACINO, F. — *Speculum*. De Romenien in hun Geschriften, 426 pag. Éditions De Sikkel, Antwerpen, 1964.

Jam pridem "Speculum" in nostra Sede "Palaestrae Latinae" accepimus, sed casu nos praeterit nihilque lectoribus nostris nuntiavimus de iis quae hoc optimo libro continentur.

Bergmans et Stacino e scriptoribus universae latinitatis multa collegerunt fragmenta inde a Plauto poëta usque ad Ecclesiae Patrem divum Augustinum. Multum ergo laudanda est ratio qua librum clarissimi auctores confecerunt cum latitatem christianam ab uno latinitatis arbore non abscederint. Quis enim negare audeat nescio a vivo latinitatis fonte et sermonem latinum christianum promanare. Doceamus ergo alumnos recta linguae latinae historiam rectamque naturam et in manibus eorum ponamus tot optima ac luculentissima scripta latina christianorum.

Si vero ipsum librum conferimus, cuique fragmanto appositam legimus commentationem et quasdam notas ad sensum verborum enucleandum.

Ornatur insuper liber multis artis veteris photographicis imaginibus.

BAELEN, JEAN. — *Mykonos*. Chronique d'une île de l'Égée. 99 pag. Éditions Les Belles Lettres, Paris, 1964.

J. Baelen historiam insulae Myconi memoriarum fragmentis aliisque documentis contextam describit. Cum haec parva insula maris Aegei, Cycladum numerum complens, ad Delon insulam sit in qua maximum Apollinis templum veteres Graeci exstruxerunt, ii

qui peregrinationes voluptatis causa suscipiunt eam praetereunt vicinae insulae Deli fama capti. Olim non ita piratae, qui ora Myconi quasi speluncam latronum fecerunt.

Rebus gestis piratarum finis impunitur a. 1830 cum haec parva insula Cycladum novo Graecorum regno adscribitur.

Incommode sane est quod pulcher liber rerum indice et locorum ac terrarum picturis careat.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

GRANERI, L. — *Arte e poesia*. 296 pag. Edizioni Nerio, Bari, 1963.

In hac artis provincia Linus Graneri novus non est cultor, ejus libri "Estetica pura" nuntium ac judicium in "Pal. Lat." n. 194. p. 87 conferas quaeso. Librum autem de re poetica nunc auctor, in Camenarum artibus valde versatus, vulgo edit, ut quasdam de poësi tradat notiones et examini subjiciat multorum auctorum opinones. Majorem operis partem terret in dijudicandis auctoribus qui de poësi scripserunt. Quid Aristoteles, Plato, Vicus, De Sanctis, Hegel... senserint non semel legimus, iterum ante oculos horum auctorum sententiae ponuntur. Miramur autem quod de aliis auctoribus praestantissimis nihil dicatur.

Graneri mihi videtur quandoque subtilioribus opinionibus forte nimis propriis inhaerere, quarum non omnes lectores participes erunt, cum et opus, proh dolor, fere careat bibliographia.

Quasdam desideret lector totius dissertationis conclusiones, quas, in libro scriptas non leget, quibus paucis com-

prehendantur verbis, quae auctor luculenter lateque per tot paginas scripsit.

PROHASKA, L. — *Pedagogía sexual*. — 151 págs. Editorial Herder, Barcelona, 1964.

Homo sua persona in solitudine collocatus non est, sed perfectus evenit homo cum societatem humanae convenit. Origo autem societas est amor viri et mulieris. Quid vero dicendum de primis eorum amicitiae et amoris necessitudinibus?

Leopoldus Prohaska, Moderator Instituti Paedagogiae in Universitate Salzburgensi qui de quaestionibus sexualibus jami pridem scripsit, in hoc autem libro cum in paedagogiam incursus agit, plures movet quaestiones ad sexum pertinentes.

Auctor colloquiis internationalibus in eadem Universitate praefuit, quorum commentationes ac vota in novo libro colligit praebetque lectoribus hispanicis.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

REUSS, J. M. — *Sexualidad y amor*. Directorio para una pedagogía sexual. 186 págs. Editorial Herder, Barcelona, 1964.

Dum temporibus actis nemo fere de sexus quaestionibus loqui audiebat, omnes hodie de hac re sive per radiophonum audiunt sive in cinematographo sive in televisione multa vident, quae sensibus placent et mentibus saepissime confusionem ingerunt, cum tam facile sit ex hiis quae audiuntur et videntur sexum pro amore sumere.

Cum autem majores natu pueros rectam veramque rerum cognitionem

docere volunt, nesciunt quid vel modo dicant. In hoc autem libro quaestiones de sexu qua ratione sint tradendae ac solvendae parentibus et magistris explicantur. Rmus. Reuss ordinem considerat, quem Deus Pater creaturis imposuit et difficultates et pericula quae hodie homines, praesertim dum juvenes sunt, in hoc ordine exequendo inveniunt; denique normas tradit quibus ipsi juvenes ad sexus rationem intelligendam eamque viviendo implendam instituendi sint.

BLOCH, R. — *Tite Live et les premiers siècles de Rome*. 121 pag. Éditions Les Belles Lettres, Paris, 1965.

Urbs Roma in historia multarum gentium maximum habuit pondus. Rerum gestarum scriptores semper operam dederunt studio originum hujus aliae Urbis, quae tot fabularum umbris celatur. Princeps tamen historiae Romanae Titus Livius plura narrat quae non nimirum vera hodie creduntur; haec de re recentiores rerum antiquarum explanatores, ope aliarum scientiarum instructi, omnia quae Titus Livius scripsit pervestigare curant. Ex adinventionibus autem jam patet ea quae Livius in I et II Annalium libris explicat de "bello pio justoque" probatas habere rationes seu radices in moribus incolarum Latii.

R. Bloch de aliis quaestionibus fusius in libro agit, in quibus certa fide est dignus cum tot tantisque nitatur investigationibus. Ipse quoque et alias de Romae originibus scripsit (conferas librum, hispanice translatum: "Los orígenes de Roma", cuius nuntius ac judicium in PAL. LAT. n. 186, p. 330 est vulgatum).

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

IORDAN, I. ET GEORGESCU, P. A. — *Los estudios hispánicos en Rumanía.* 30 págs. Sociedad Rumana de Lingüística Románica, Bucarest, 1964.

Semper in Rumania studia cultus hispanici floruerunt, multique libri et commentaria vulgo de hac re edita sunt. Hic autem labor per vestigationis extremis 15 annis aliquantulum immunitus iterum viget floretque.

CASTAÑEDA, J. M. — *Geometría.* Problemas razonados. 400 págs. Ediciones Liber, Ondarroa, 1963.

Opus e duobus voluminibus constat, quorum primum ad magistrum pertinet, alterum vero ad discipulum. Auctor totum se dedit problematibus geometriae solvendis, quorum rationes exponit eaque multis usus geometriae adjumentis solvit.

Opus renuntiatum est utilissimum alumnis qui Baccalaureati studiis aliis-  
ve similibus vacant.

VERDYCK GROENINCKX, M. — *Via Nova, I, II, III. Manuel de Latin.* 158 pp., 152 pp., 207 pp. Éditions De Sikkel, S. A., Anvers, 1964.

Haec nova via ad linguam latinam docendam descendamque optimam faniam atque fortunam apud Batavos primum et deinde apud Belgas obtinuit. Tum alumni cum magistri bonarum litterarum non potuerunt quin hanc novam viam sequerentur, cum rationibus apprime paedagogicis sit instructa. Nos quoque, qui multas in manibus habuimus linguae latinae grammaticas, rationem qua haec nova via est confecta magni habemus: grammaticae regulae, exercitationes, verborum usus, notitiae ac mores Romanorum, res gestae, specimina verborum ac conjugationum, imagines ex ipso latinis sermonis fragmento sa-

pienter ordinateque eruuntur et expli-  
cantur. Haec tamen fragmenta e scrip-  
toribus classicis selecta plura esse de-  
bere credimus.

Textus latini multis photographiis illustrantur ac decorantur, plures ta-  
men desiderantur in libro optime com-  
posito, quae illum magis jucundum  
pueris legentibus eorumque captui ac-  
comodatum praebeant.

Grammaticae nostris diebus vulgo editae hanc eandem —mutatis mutan-  
dis— novam viam docendi linguam la-  
tinam retinent. In Hispania conferatis  
quaesumus: LATIUM, Lucius et  
Quintus I, Roma et Graecia II, Ro-  
ma, gentium domina III, apud Do-  
mum Editricem Coculsa, Matriti. Hi  
libri e Sede PALAESTRAE LATI-  
NAE prodierunt.

VIA NOVA, cursus completus e  
tribus constat libris. Verba tamen la-  
tina, quae in primo et altero volumine  
legimus eadem in quarto fasciculo ad-  
ditio cum gallica significatione et cum  
compendio regularum grammaticalium  
invenimus.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

MICHEL, A. — *Selecta carmina, Me-  
diū Aevi, saec. IX-XIII,* Ed. Bi-  
bliotheca Vitae Latinae, Aubanel,  
1966.

Praeclarae "Vitae Latinae Biblio-  
thecae" in serie secunda textuum tam  
in versibus quam in prosa oratione ex  
Medio Aevo, saec. IX usque ad XIII,  
selectionem in lectorum favorem per-  
placet edere.

In praefatione auctores: "Carmina,  
inquit, mediaevalia partem eximiam  
constituunt litterarum latinarum". Ideo hoc brevi libello aetatis illius non  
solum in philosophia ac theologia sed  
etiam in litteris latinis fovendis pro-  
gressus celebrare intendunt. Longa  
praefatione constat libellus, in qua de-

auctoris qui carmina textusque scripserunt, de eorum rhetorica arteque, de eorumdem carminum historia, de rebus hujus aetatis pertractatur.

His duobus partibus conflatur libellus: carmina selectique textus ex annis 800 usque ad 1150, brevi antecedente de illorum ratione temporum praefatione, leguntur; carmina selectique textus ex annis 1180 usque ad 1300, brevi etiam antecedente praefatione.

Quibusdam hujus aetatis pictorum imaginibus libellus ornatur et alio aucterum alioque rerum indice concluditur.

BOELEN, J. — *Sur les traces d'Alexandre*, vol. I: *préparation*. 37 pag.

BOELEN, J. — *Sur les traces d'Alexandre*, vol. II: *texte*, 44 pag.

JOSSERAND, CH. — *Salluste, la conjugation de Catilina*, 93 pag.

BOLLAND, P. — *Pline le jeune, choix de lettres*, 70 pag. Ed. H. Dessain, Liège, Paris, 1966.

Hos domus librariae H. Dessain fasciculos lectoribus nuntiamus atque liberter commendamus qui optime et amoenissime sunt exarati.

Nova ex latinis scriptoribus textuum collectione intenditur ut alumni quanti haec opera sint animadvertant atque horum textuum vim et in litteris et in historia et in vita humana mente distincte percipiant. In omnibus his fasciculis et miram rei tractationem et copiosas optimeque instructas praefationes, in quibus saepe nobis aliqua et de auctore ejusque opere et de aliis variis rebus dicitur, maxime celebramus.

Nobis vero secundus et tertius fasciculus valde placuerunt. In alio enim, praeter supra dicta, non solum de dictione, syntaxi et dicendi arte in Sallustius

opere breves optimasque invenimus notas regulasque, sed etiam de novae editionis textu, orthographia atque commentario explicaciones, sed praeterea eventuum rerumque Catilinae conjurationem comitantium et sequentium summam. In fine libri quomodo Sallustius orationes conficiat discipulis brevi et aperte declarat auctor. Indice nominum concluditur fasciculum. In alio tamen epistularum praefationes atque variorum scriptorum textus, quos de re a Plinio in epistula explanata selegit auctor, maxime celebamus atque magnae utilitati esse alumnis censemus ut hi quid de ea re senserint omnis aetatis scriptores cognoscant ac sciant.

J. L. LATORRE, C. M. F.

MICHAUD, I. — *Petite syntase latine des propositions*, 120 pag. Ed. Delta, Suisse, 1965.

In hoc volumine elementa ad propositiones ordinandas sic auctor nobis dat ut discipuli latinorum scripta facilius comprehendere possint atque in latinae syntaxeos regulas explorandas pedetentim se exerceant et incumbant. Hac de causa multas quaestiones prae-terminnit, ex verborum regimine propositiones dividit, monita minuit ut discipuli regulas mente distincte percipiant et sciant. Tamen non solum ad propositiones ordinandas regulas discipulis tradit auctor, sed etiam cur haec in latinorum sermone tali ratione exstruantur eis evolvit et explicat.

In praefatione et propositionum summam et principia, quibus modus indicativus et subjunctivus conjungitur, discipulis breviter praebet. Ita quaestiones ab auctore pertractantur: de primis propositionibus; de propositionibus completivis; de propositionibus circumstantialibus; de participialibus et relativis propositionibus; de stylo obliquo.

Hanc vero ad propositiones enodandas rationem maxime probamus quod claritatem sovet, sed magnae fuisset utilitati alumnis diversus litterarum typus in regulis et in exemplis, cum ita eorum labor facilior redderetur.

GALGIGLIO, E. — *Il tema della morte in Euripide*, serie prima "Saggi vari", n. 4, 160 pag. Ed. Biblioteca della Rivista di Studi Classici, Torino, 1966.

Hoc volumine aliqua de morte in Euripidis tragoeidiis auctor conatus est investigare: quae de morte senserit poeta Euripides intenditur, quoniam sic et quae ejus aequales de hac re cogitarent distincte percipimus et Euripidis mentem melius comprehendimus et saeculi V a. Chr. scriptorum, qui de hac re aliqua nobis tradiderunt, in poetam facilius animadvertisimus momentum.

Haec in volumine pertractantur: mors in scriptoribus ante Euripidem atque in ipso Euripide et in malis et in bonis habetur. Quam rationem plenumque tenet auctor: mortem et in bonis et in malis haberi quod 1) vel ex hujus vitae malis hominem liberat vel ei bona adimit vitae; 2) vel homini meliorem vel pejorem parat vitam; 3) vel etiam ex his duobus causis simul. Haec igitur ratio nec in omnibus operibus tractandis eadem est semper, nec ab auctoribus similiter adhibita est.

Opus magnae utilitati viris in has res incumbentibus esse judicamus quod nimia arte critica perfectum est. Librorum et auctorum indice concluditur volumen.

J. L. LATORRE, C. M. F.

CASTORINA, E. — *La poesia d'Orazio*, 315 pag. Ed. Edizioni di Storia e Letteratura, Roma, 1965.

Quanti Horatii versus sint, quaestio difficilis et his diebus valde agitata ab

auctoribus litterarum latinarum in studia critica incumbentibus est; ideo C. Marchesi in "Litterarum latinarum historia" (Storia della letteratura latina) duo milia annorum ad eam omnino persolvendam minime sufficere, scripsit. Hac ergo de causa, quod de Horatii versibus perplura dicta sunt et scriptores, affecti communis eorum aetatis sensus pondere diverse senserunt, cognoscere auctor et virum Horatium et vitam et mentem, ut de ejus versibus facilius judicare et probare possimus, intendit hanc sententiam tenuis: Horatii versus et ex ejus vita et hominum ratione nasci.

Primum aliqua de Horatii judicio, de ejus elegantia et de elementis ad recte hoc judicium faciendum, auctor nobis dicit; deinde de Horatii versibus, de Epicuri philosophiae et cantorum Euphorionis momento, de ejus in versibus maestitia et amore; denique de ejus cogitatis inter se discrepantibus, v. gr. de Caesari amicitia et de Caesari odio et de ejus in rebus politicis cognitione atque scientia.

Analytico et nominum et Horatii locorum indicibus concluditur liber.

MARTINET, A. — *Elementos de lingüística general*, 261 págs. Ed. Gredos, Madrid, 1965.

Auctores, qui de lingua jam diu disputant, hujusmodi studiis criticis in primis se dederunt. Nostris vero diebus haec studia a plerisque doctis viris praetermissa sunt, quod, linguam magis in se ipsa quam in suo processu considerantes, novam notionem, quae publicorum lectorum favore hodie gaudet, in lucem ediderunt. Hoc enim volumine, quod ex quibusdam disputacionibus in Universitate Sorbonensi alumnis cursus 1958-1959 habitis constat, intenditur ut omnes novam linguae notionem comprehendant et intellegant, et

hac de causa tam in elementis hujus novae disciplinae enodandis claritas quam rationis vis de industria amplificatae sunt ab auctore. Quanquam aliqua lectu difficultia sunt, tamen pleraque a quocumque lectore recte intelligi possunt, praesertim quae in capitibus quinto et sexto explicata sunt. Tamen ex toto opere caput quartum eminet, quod in eo tam "significationis" quam "distinctionis" elementa auctor conatus est ostendere accurate.

Operis versio in hispanicum sermonem hujus sermonis exemplis, Franco-gallorum linguae comparibus, cummunitata est, ut hispanicis lectoribus melius aptaretur iisque regulas facilius intellegere possent.

In fine libri librorum indicem inventimus, qui ad recte comprehendendam hanc novam linguae cognitionem utilis est. Liber verborum et rerum concluditur indicibus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

TONDINI, H. - MARIUCCI, Th. — *Lexicon novorum vocabulorum*, quae e libellis LATINITATIS his decem superioribus annis in vulgus editis excerpserunt H. T. — Th. M. 393 pag. Desclée, Roma, 1964.

In n. 192 "Palaestrae Latinae" hoc jam lectoribus nuntiatum est volumen. De eo P. Josephus Mirius fuse sciteque judicium criticum fecit; qua enim de causa in hoc "Palaestrae" numero in publicum tantum vulgamus atque ea, quae de eo in superiori numero dicta sunt, affirmamus ac profitemur.

CARLOTTI, U. — *Dei Sepolcri*, Ugo Foscolo, Ed. A. Belardetti, Roma.

In n. 183 "Palaestrae Latinae" lectoribus jam vulgatum est fasciculum quem in hujus numeri paginis tantum

nuntiamus. Itaque quae de eo lectores legerunt rursus perplacet affirmare.

ZIEGLER, K. - SONTHIEMER, W. — *Der kleine Pauly Lexikon der Antike*. Alfred Druckenmüller Verlag, Stuttgart, 1966; Lieferung II. DM 10.

In numeris 190 et 194 lectoribus alii hujus clari ac mirifici lexici fasciculi pervulgati atque judicio critico subjecti sunt. Novum studiosis viris fasciculum —II— superiorum proprietates habens, hic nuntiamus. Hoc volumen a voce "Furius" dicta initium capit et usque ad vocem "Gnosis (Gnostiker)" dictam extenditur; voces enim quaedam fusius et amplius explicantur ut in superioribus fasciculis. Indice auctorum, qui id fecerunt, concluditur fasciculus.

GARCÍA ALVAREZ, J. — *Salustio, La guerra de Jugurta*, 2.<sup>a</sup> edición, 204 págs. Ed. Gredos, Madrid, 1965.

Huic secundae "Belli Jugurthini" editioni professor Joaquin García Alvarez pauca nova de textu, notis explicationibusque addidit; sed textum magis distinctum ac jucundum reddidit.

Ratio in his libris faciendis eadem est semper: auctoris textus cum notis infra, nominum praecipuorum institutorum appendix, et praeterea in quibusdam voluminibus, ut in hoc, quae-dam notae de verbis ab usu cotidiani sermonis jam diu intermissis. Commentarium alias grammaticae alias generis in describendo constat explicacionibus, quas in nonnullis voluminibus tantum invenimus. Appendices plerumque sunt distinctae optimeque instructae.

In hoc tamen volumine deest brevis praefatio de nonnullis elementis ut et adjuncta tempori et causas quibus ad hoc opus faciendum motus est auctor,

comprehendere possimus; aliter quanti res sit aestimare nequimus.

GASPAROTTO, G. — *Isidoro e Lucrezio*, vol. LXXVIII, 131 pag. Ed. Società cooperativa tipografica, Padova, 1965-66.

In hoc alio Collectionis Isidoro et Lucretio dicatae fasciculo de "Fulminibus" in "De rerum natura" et "De originibus" dissertatione agit auctor, ipsam superioris fasciculi sententiam asserens ut in numero 192 "Palaestrae Latinae" legitur, atque eandem in rebus tractandis rationem tenens.

J. L. LATORRE, C. M.F.

BRANDENSTEIN, W. — *Lingüística griega*, traducido del alemán por VALENTÍN GARCÍA YEBRA, 390 pág. Ed. Gredos, Madrid, 1964.

Docti viri, Graecorum linguae cultores, professoris W. Brandenstein, in-dagatoris in quaestionibus Indorum et Europensium linguam spectantibus expertissimi, hoc volumen gaudio accipient, quod et magni pretii et efficacia et usui facilia elementa ad studia amplificanda eis praeberet.

Volumen ex duabus constat partibus seu fasciculis ad collectionem "Gö-schen" pertinentibus sed in versione hispanica ex duobus factum est volumen unum: in alia et Graecorum linguae fontes et gentium hac lingua loquentium unitas et investigationes linguae ex ipsa Graeciae regionibus extractae et continuae litterarum formae a Graecis adhibitae et quomodo diversae linguae graecae differentiae se haberent inter se et sonorum doctrina et varii vocum origines agitantur; in alia quatuor praecipua grammaticae elementa —nomen, pronomen, numerales, verba— ab auctore optime et distinc-tissime considerata sunt. His vero re-

bus verborum, quae magis sunt in auctoritate, additur index.

Professorem W. Brandenstein nobis libet celebrare quod ad opus lectionem adhibuit et hac de causa huic in Hispanorum linguam versioni novae de hac re investigationes addi potuerunt. In alia parte paragraphi 5, 6, 7, 11, 24, 65 valde emendatae sunt et 10, 23a, 26a, 44a, insertae; in alia paragraphi 22, 23, 25a (partim), 53, 54, 55 emenda-tae sunt et 23a inserta est.

Maximas igitur laudes auctori dicamus quod ad Graecorum linguam me-lius comprehendendam opus nobis ob-tulit utilissimum atque libenter secun-dum ei exoptamus eventum.

ULLMANN, S. — *Introducción a la se-mántica francesa*, traducción y anota-ción por EUGENIO DE BUSTOS TO-VAR, 483 pág. Ed. Consejo de In-vestigaciones Científicas, Instituto "Miguel de Cervantes". Madrid, 1965.

Verborum explicatio, quae ab auctoribus olim fere praetermissa est, his recentibus annis ample et magnopere crevit nostrisque diebus ab omnibus inter praecipua bonarum litterarum stu-dia habetur. Professor Ullmann, in his rebus clarissimus ac doctissimus vir, "Principia ad verba explicanda" (Prin-ciples of Semantics), anno 1951 in "Glasgow University Publications" jam in lucem odiatim edita, verborum francogallicorum explicandorum quaesi-tionibus in hoc volumine aptat ut eorum elementa magis emineant. Si opus superius viris in haec studia in-cubentibus praesertim destinatum ac scriptum est, volumen autem hoc non solum omnibus iis, qui quaestionibus cuiuscumque linguae de ortu usuque enodandis delectantur, utile erit, sed etiam ad explicandam tam cuiuscum-que linguae verborum structuram quam in eis ad faciendum progressum exem-

plo erit in perpetuum. Qua enim de causa opus in nulla bibliotheca, rebus grammaticis dicata, deesse potest.

Eugenius de Bustos Tovar, qui Ullmann opus interpretatus est et ad id notam apposuit, exempla, ex Hispanorum lingua extracta et ab auctore exemplis explicatis allatisque similia, aequalibus proponere intendit, quantum potuit, ut volumen, perplurimis cogitatis notionibusque novis cumulatum, viris in verbis explicandis studiosis utilius esse possit.

Maximas laudes tam auctori quam interpreti dicamus quod hoc opus tanti pretii ac magnae utilitatis tum doctissimum studiis linguarum fovendis in lucem ediderunt.

J. L. LATORRE, C. M. F.

**BARIGAZZI, A.** — *Favorino di Arelate, Opere*, introduzione testo critico e commento. 610 pag. Ed. Felice Le Monnier, Firenze, 1966.

Favorinus Arelatensis, etsi inter clarissimos Romanorum imperii aetatis aureae scriptores non reputatus est, tamen est unus eorum, qui illius temporis humanitatem melius comprehendebant et sibi vindicarunt atque in operibus eam distincte acuteque expresserunt, et, si praeterea humanitatem in hac aetate sumnum hominum studium gloriamque esse putamus, hic scriptor in primis etiam eminet.

Opus, in quo non solum Favorini opera colliguntur, sed etiam de ejus aetate aliqua brevi considerantur —quoniam, si haec non considerarentur, et nihil de scriptore ipso scire possemus et in oblivione hominum adhuc esset—, investigatio plena definitaque non est, si Favorini opera et a scriptis a Gallicio traditis et ab aliorum scriptorum testimoniis bene distinguere non posse consideramus atque saeculorum memoriam seu traditionem impedimen-

tum afferre Favorini menti accurate describendae animadvertisimus.

Ita dividitur opus: ampla praefatio, in qua aliqua de Favorini vita, de operibus et tempore in quo scripta exaravit, de philosophia, de scientia et de modis dicendi ex philosophis ante Aristotelem et scriptoribus bonarum litterarum aetatem insequentibus desumptis, de novo sensu verbis dato praesertim in poetice dicendo, de corporis et animi imagine nobis narrantur. Librorum indice et quibusdam de ejus vita et opere et humanitate et fama fragmentis ex auctoribus extractis concluditur haec praefatio; Favorini opera sequuntur hac ratione: opera ab ipso certo scripta et opera incerta. Opus et fontium et rerum cum Marres et Müller FHG et Mensching voluminibus congruentium et verborum graecorum a Favorino adhibitorum concluditur indicibus.

Auctorem magnopere laudamus quod tanti pretii utilissimumque studiosis aureae Romanorum imperii aetatis viris in vulgum edidit opus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

**SAMARAN, CH. - MARICHAL, R.** — *Catalogue des manuscrits en écriture latine*, tome V en deux volumes; l'un a 249 planches et l'autre a 731 pages, Ed. Centre National de la Recherche scientifique, Paris, 1965.

Haec duo volumina, quae lectoribus libenter offerimus, ad monumenta literaria in sermone latino scripta et in provinciis ad Galliae orientalem spectantibus reperta penitus inspicienda auctores exararunt. Hae enim provinciae variis diversisque explorationibus abundant quoniam per cursum historiae perplures seditiones, incursiones multiplicesque oppugnationes in eis habitae sunt. Praeterea Campanenses et Lotharingienses et Alisacenses biblio-

thecae ipsas tabularum descriptiones imaginesque adhuc etiam retinent, et propter eas et cuiuscumque provinciae scripta facilius considerari novoque lumine illustrari possunt et litterarum typi differentesque ornatus promptius aperiuntur et scriptores accuratius cognosci possunt et volumina, auctore dieque parentia, alterutri scriptori librario rectius assignari possunt et plerumque dies ferme cognosci.

Ut lectores typorum bibliothecarum que historiam amplius cognoscerent, scripta, certe aut probabiliter definita, in numero monumentorum litterariorum ab auctoribus fusius consideratorum inscripta sunt; scripta autem externa eorum forma tantum definita in monumentorum litterariorum repertorum summa inveniuntur.

In alio volumine sunt scriptorum photographicae picturae numeris signatae, cum bibliothecae nomine in qua continentur, scripti schedaeque numero, scriptionis aut restitutionis die. In alio vero et longam amplamque præfationem, in qua et Campanensium et Lotharingiensium et Alisacensium et vicinarum provinciarum bibliothecarum historia fuse narratur et principia, in superioribus voluminibus jam exposita, ad novum opus confidendum adhibita summā tantum evolvuntur et photographicarum picturarum alterius voluminis explanationem invenimus. In hac enim explanatione haec continentur: quid sit photographicae picturae genus, pergamenum an papyrus, quis schedae numerus, quae collectio, quot lineae modique, an pictum colore necne, quae typorum figurae, quibus diebus et a quo scripta photographica pictura, unde procedatur, qui nunc habeant. Volume variis concluditur indicibus.

Tam auctores, eorum et opus et nimiam in rebus enodandis claritatem, quam eximum hypothetarum laborem

maxime laudamus atque opus viris antiquitatum studiosis Galliaeque cultoribus maximae esse dijudicamus utilitati.

J. L. LATORRE, C. M. F.

WEIS, H. — *Bella Bulla, Lateinische Sprachspielereien*, Dritte Auflage, 202 pag. Ed. Ferd. Dümmlers Verlag, Bonn, 1960.

Nostris letoribus utilissimum opus, linguae germanicae exaratum alumnis qui latinum sermonem discere cupiunt, nobis per placet offere. Liber vero, titulum "Hilaria" ferens, est tertia pars collectionis "Jocosa et Curiosa", cuius finis est linguam latiniā discipulis utilem ac jucundam exhibere.

In libro non solum et mirifica textus forma et imagines copiosae et joca ad animos alumnorum recreandos valde laudanda sunt, sed etiam et dicatorum et selectorum ex clarissimis tam latinis quam germanicis auctoribus verborum abundantia, quae ipsorum discipulorum humanitatem foveat.

Tamen verum duas res, ut opinor, minime probamus: et nimis productam introductionem et interdum nimiam textuum abundantiam; haec enim omnia incommodo sunt discipulis et claritati minime adjuvant. Plures igitur imagines et in introductionibus ac notis brevitatem maluissemus. Operis tamen auctori laudes dicamus atque hunc librum magnae utilitati in lingua latina incipientibus habemus.

VALGIGLIO, E. — *Plutarco, De Fato*, 80 pag. Ed. Angelo Signorelli, Roma, 1964.

Novum hoc opus, ut ipse auctor Valgiglio scribit, de "Fato" quaestioni magni momenti tam in se ipsa quam in antiquorum humanitate, sed in primis in graecarum litterarum

historia et in saeculi II p. Chr. philosophia, dicatum est. Nobis quam longum et amplum commentarium, exhibere conatus est auctor.

Liber his partibus conflatur: introductione, in qua de operis re, mente et ratione, de Stoicorum et Neo-academicorum scriptis, "Fato" dicatis, de dialogi fontibus et auctoritate atque demum de textu, breviter et impense pertractatur. Haec vero pars librorum indice concluditur; textu Plutarchi dialogi, notis amplis et valde exstructis exarato, ut eum melius faciliusque intelligere possimus; integra versione in italico sermone.

Laudes dicamus auctori quod hoc opus, ut opinor, magnae utilitati viris earum rerum studiosis esse potest. Maxime vero laudandae sunt ars critica et pulchra forma typographica.

J. L. LATORRE, C. M. F.

DIRLMEIER, F. — *Der Mythos von König Oedipus*, 66 pag. Ed. Florian Kupferberg, 1966.

F. Dirlmeier in graeca latinaque humanitate expertus vir, opere de praeflora regis Oedipidis fabula conferre intendit investigationem in qua nobis fabulae originem, historiam et momentum in graecorum humanitatem narrat. Sic in has partes dividitur liber: amplum commentarium de regis Oedipidis fabula, librorum index qui nostra maxime interesse possunt ad mythologiam et fabulae momentum in Graecorum humanitate comprehendenda, appendix et collectio notarum quibus quaestiones in commentario jam exaratae declarantur et explicantur. Et in libro quaedam sunt imagines quae oculis blandiuntur et investigationem complent.

Auctoris vero opus celebramus quod, etsi breve, bene est instructum atque in eo quaestiones ad regis Oedi-

podis fabulam spectantes, maxima claritate explicatas invenimus.

GONZÁLEZ DE LA FUENTE, O. P. — *Acción y contemplación según Platón (Jalones para una filosofía de la vida activa y un connubio entre teoría y práctica)*, 210 págs. Ed. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, 1965.

Permulta de Platonis "Contemplatione" et "Actione" ab auctoribus diverse scripta sunt; tamen pauca de horum conceptuum conexione in philosophi vita ac mente. In hac enim quaestione tota Platonis mens continetur; qua de causa in philosophi opere ab omnibus haec ut quaestio princeps dijudicata est. Itaque philosophi vita et mens non sunt singillatim "Actio" et "Contemplatio", sed "Actio" et "Contemplatio" simul.

Angelus González hoc opere ad lauream in Philosophia ab Universitate Friburgensi obtainendam de hac quaestione —de "Actione" et "Contemplatione"— lucem promere conatus est; ideoque in singulis paginis curat ut omnes alias quaestiones ab ejus explicatione pendere intellegamus. Liber ex duobus partibus conficitur: in alia de "mundi idealis" ratione seu structura et dynamismo agitur et in alia de "Actione" et "Contemplatione".

Liber indice librorum concluditur.

LALOUP, J. — *Traité de Dissertation*, 176 pag. Ed. H. Dessain, Liège, Paris.

Auctor libro discipulis regulas bene exstructas praebere conatus est ut ipsi pedetemptim artem loquendi discere possint; hac enim de causa opus artificiosae et gradatim perfectum est. In libro, ut auctor ipse dicit, regulae arti loquendi, ad animos hominum erigendos spectanti, tantum modo dantur.

Itaque tredecim capitibus, abundantibus et exercitiis et exemplis ex clarissimis scriptoribus selectis et monitis quibus in labore alumni ducuntur, artis loquendi evolvitur ratio. Insuper compendia synoptica et imagines adjumento sunt alumnis et in regulis intellegendis et in faciendis exercitiis.

Questionum collocationem, pulchram distinctamque in principiis et regulis in publicum proponendis rationem etiam maxime laudamus.

Tamen, ut opinor, libro imaginum copia atque in regulis exponendis brevitas desunt, quo alumni facilius eas in mente retinerent. In cuiusque capitulis fine maluissemus ut breve sequeretur summarium earum rerum quae magnae utilitati alumnis esse possunt.

Praeter haec quae notantur, hunc librum omnibus qui in artem loquendi incumbunt utilem esse putamus.

MUSCOLO, R. — *Meditatio mea (meditaciones para seminaristas menores)*, versión del italiano por el Rd. Dr. Eliseo Cots, Pbro. 468 págs. Ed. Pontificia, Eugenio Subirana, Barcelona, 1964.

Opere, quod offerimus, tam Seminariorum moderatoribus quam Seminarii Minoris alumnis ad orationem mentalem faciendam commodo esse intenditur; qua enim de causa auctor simplicem rapidumque exhibet tex-tum ut per pauca minuta Seminarii alumni nova cogitata mente percipient atque eas animo volent. Ad meditationem evolvendam ratio orandi a divo Ignatio peracta adhibetur ab auctore.

Liber ex 400 meditationibus, secundum anni menses dispositis, constat. In singulis mensibus materia tantum proponitur una atque ea variis commentationibus evolvitur, v.gr.: mense novembri princeps materia est Purgatorium; mense decembri Immaculata

Conceptio B. Mariae Virginis et Nativitas Domini, cet... Insuper singulis mensibus seligitur sanctus custos cui Seminarii alumni se commendant atque eis in cuiusdam virtutis exercitatione exemplo est.

Ad librum conficiendum auctor usus est opere "Seminarii alumnorum cura spiritus" (La direzione Spirituale dei Seminari) in lucem anno 1956 a Sacra Seminariorum et Studiorum Universitatum Congregatione edito.

Auctorem maxime laudamus quod menti pueri sese aptare impense conatus est; tamen has duas res minime probamus: nimiam cogitatorum in unaquaque commentatione abundantiam, quod pueri animi attentioni obest, atque commentationes pertractandi rationem, quod hujus temporis investigationibus puerorumque menti minime aptatum est.

Quibus tamen dictis opus putamus magni momenti esse Seminarii alumnorum moderatoribus ut cogitata alumnis bene fructuoseque exponenda colligere possint.

MARMIER, J. — *La survie d'Horace à l'époque romantique*, 170 pag. Ed. Marcel Didier, 1965.

Libro prima perficitur de Horatii opere investigatio quam ut thesim ad lauream in bonis litteris obtinendam detulit auctor.

Liber ex sex constat capitibus —articulis jam conscriptis in commentariis "Les lettres Romanes" annis 1963-1964 — in quibus Horatii momentum in poetas saeculorum XVIII et XIX novarum rerum in litteris gallicis studiosos facile animadvertere possumus. Novarum rerum in litteris gallicis studium, quod cum cogitatis menteque Horatii convenit, in Gallia reviviscit illud scribendi genus quocum Horatius Romae admirationem lectorum habuit atque eorum animos movit. Hoc tamen

novarum in litteris gallicis studium initium capit, veluti in Horatio, et ab arte et pulchri naturaeque amore et a vitae brevitate et a nimia animi commotionum cupiditate. Denum in hoc dicendi genere magni pretii sunt brevitas et vis. Omnia vero haec in singulis poetis novarum rerum in litteris gallicis studiosis saec. XVIII et XIX partim tantum invenimus.

Itaque opus nobis utilissimum est ut Horatium melius cognoscamus atque latinorum momentum et in litteras et humanitatem et in aetatis romanticae scriptores intellegamus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

**AMBROSI, G.** — *Dantis iter in Deum (Con Dante dalla Selva all'Empireo)*, 420 pag. Ed. Poligrafia E. Salvati, Foligno, Italia, 1966.

Joannes Ambrosi, vir in bonis litteris expertus earumque cultor clarissimus, versibus nobis offert latinam interpretationem "Divinae Comœdiae", qua linguam ex verbis popularibus summa dignitate a Dante cunimulatam, celebrare intendit.

In hoc libro laudamus amplum ac proprium in primis in Latinorum et Italicorum lingua commentarium in quo "Divinae Comœdiae" moralitas et in dicendo elegantia ostenditur. Tamen sunt XVIII selecta fragmenta, versibus alternis versa cum italico poetae Dantis textu adjuncto, in quibus quid et de religione et moralitate et politica et familia senserit poeta nobis indicatur, cum iter per Infernum, Purgatorium ac Paradisum peragebat Opus XXI imaginibus ex Dantis libro electis ornatur.

Hoc libro clarissimi Dantis poetae in ejus septimis sollemnibus saecularibus memoriam celebrare atque versibus et linguae patriae, ab eo summis fascibus ornatae, laudes tribuere auctor intendit.

**CORSARO, F.** — *Querolus (studio introduttivo e commentario)*, 167 pp. Ed. Casa Editrice Prof. Ricardo Patron, Bologna.

Francisco Corsaro in Litteris Latinis Universitatis Catinensis Professori omnibus studiorum criticorum peritis librum optime instructum atque magnae utilitatis perplacet offerre. Ex duobus partibus constat liber: alia est operis praefatio, in qua decem capitibus de conscriptionis diebus, de auctore, de re proposita, de comoediae proprietate, de ratione cum Plauti poesi scaenica, de operis scribendi genere, de sermonis elegantia et metrorum ratione, de vi in litterarum historia et de ejus momento in aequales et posteros, de codicibus et operis editionibus, agit auctor; alia vero est commentarium, in quo praecipuae de interpretatione, de critica textus arte, de grammatica et dicendi ratione pertractantur quaestiones.

Duobus indicibus, alio nominum, alio in litteram digesto, concluditur liber.

J. L. LATORRE, C. M. F.

**ALONSO SCHÖKEL, L.** — *La Palabra inspirada (La Biblia a la luz de la ciencia del lenguaje)*. 388 págs. Ed. Herder, Barcelona, 1966.

Domus libraria Herder collectioni Sacrae Scripturae dicatae alium ad junxit librum qui omnium maxime interesse potest, quod in eo de quaestione apud temporis Verbi Dei interpres admodum agitata agitur.

A. Alonso Schökel, in Veteris Testamenti theologia explicanda professor et Cardinalis Bea successor in "Institutionibus ad Sacram Scripturam præparandam" enodandis in "Pontificio Instituto Bíblico" in urbe Roma atque clari "Estudios de poética hebrea" (Barcelona, 1963) operis auctor, hoc

scripto, quod lectoribus vulgamus, "De Verbo Dei" in theologia augere opera nuntitur.

Questiones "De Inspiratione" jam a majoribus traditae rursus pertractantur ab auctore, novis criticorum Verbi Dei studiorum cognitionibus atque artis loquendi doctrina ei lucem porrigentibus. Proprium enim libri est Verbo Dei hujus temporis in arte loquendi philosophiae principia aptare. Itaque liber ex variis de Verbo Dei considerationibus, lectoribus modo aptatis, constat. Ut ipse auctor dicit, illis, qui quandam humanitatem habent atque studiis Verbi Dei vacant — sacerdotibus, viris in hac re peritis, litterarum conventibus, cet. — scriptus est liber.

Duobus indicibus concluditur opus: alio summa secundae partis libri Chr. Pesch "De Inspiratione Sacrae Scripturae", quae communis de hac re sententia in Ecclesia semper observatur, continetur; aliis "De Divina Revelatione" continet Constitutionem notis ad marginem appositis quae nobis indicant libri capita ac paginas, in quibus de iisdem rebus agit auctor.

Auctori maximas laudes dicamus quod omnibus, tam in studiis Verbi Dei alumnis incipientibus quam proficienibus viris, utilissimum in lucem edit opus cui secundum exoptamus eventum.

J. L. LATORRE, C. M. F.

GUERCIO, L. — *Scritti vari.* pp. 295. Scuola Arti Grafiche, Salerno, 1964.

Aloisius Guercio lectoribus "Palaestrae Latinae" valde notus optimam adeptus est famam in litteris latinis scribendis vulgandiseque, quas per multos docuit annos in Lyceis et Athenaeis. Bis in Certamine Capitolino vitor renuntiatus, iterum ad idem Certamen venit extremis vitae annis.

Urbis Salernitanae amantissimus pingues declinavit honores ne illam,

quam sibi selegerat patriam, relinqueret. In hac eadem urbe d. 9 m. novembris a. 1962 e vita discessit bonarum litterarum cultor A. Guercio. Amplissimo tunc eum funere humari jussit Urbis Magister, qui nunc ejus praecipua scripta ut in lucem edantur curavit.

In hoc libro legimus: I. — Pagine autobiografiche (p. 9-21). II. — Saggi critici (p. 27-75). III. — Composizioni latine in prosa (p. 91-227). IV. — Communicazioni per il Congresso di latino ad Avignone (p. 239-245). V. — Scritti latini di occasione (p. 255-295).

Quae olim suo tempore in "Palaestra Latina" pagellis J. Aramendia, actuarius, scripsit nunc decet iterum promere: "Illustrissimi Professoris Aloisii Guercio lungendam mortem nuntiamus... ; illeque sacerdotalem dignitatem eruditione et doctrina cumulavit totoque animo in litteras latinas incubuit; haud pauca in Commentariis de litteris classicis conscripsit, quae nunc in lucem iterum edentur" (P. L. n. 181, MCMLXIII).

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

RUSCH, P. — *El arte de meditar.* pp. 413. Editorial Herder, Barcelona, 1964.

Quibus de causis vix percipiamus meditationis momentum ad vitam christianam alendam augendamque cognoscere necesse est. Multi clerici eam habent ut Ecclesiae praeceptum vel ut modum discendi. Oportet tamen lectorem res quibus vacaverit legendoque didicerit easdem vitae moribus exsequi.

Rinus. Episcopus P. Rusch tres methodos seu rationes exponit commentationes faciendi; unusquisque autem seligat viam oportet quae sibimet ipsi magis prospicit.

Tandem res secum animo cogitandas proponit e Missali, e Libris Sa-

cris, ex ipso vivendi genere sacerdotum haustas.

Opus omnibus fidelibus, sacerdotibus praesertim est accommodatum. Liber clarioribus typis excussus parvaque chartae forma est.

HAAG-HASS - HÜRZELER. — *Evolución y Biblia*. pp. 143. Editorial Herder, Barcelona, 1965.

Quaestiones maximi momenti ab auctoribus rerum peritissimis agi oportet, ne plura incerta vel falsa irrepant. Ea quae in hoc libri tres auctores scribunt optima habemus; omnes enim ii tres in Universitatibus magistri non semel de iisdem rebus egerunt. Prof. Haag explicat quo modo in Sacra Bibbia distinguere oporteat ea quae in salutis nuntio contineantur ab iis quae nuntii "formam" componunt. Nosque docet Dei nuntium semper eundem fuisse, multis tamen diversisque dicensi narrandique modis expressum.

Prof. Hass de vitae mysterio, de homine in mundo, de creatarum rerum unitate luculentam doctrinam evolvit.

Dr. Hürzeler affirmit plures illas theorias evolutionis certo esse tenendas suamque doctrinam exemplis paleontologiae mammiferorum fulcit ac robatur.

Ex his vero tribus investigationibus theologiam salutis licet exstruere.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

ZAFIROPOULO, J. — *Histoire de la Grèce à l'age de bronze*. 196 pag. Editions Les Belles Lettres, Paris, 1964.

Admodum placet lectoribus nostris nuntium edere libri optimi de Graecorum historiae primordiis. Auctor omnes diligentissime pervestigavit notiarum fontes, ut in hoc describeret libro imaginem praeteriti temporis. Tempus nobis ignotum, fabularum

umbbris occultum, in quo tamen reperi fas est praesentis temporis interpretationem, multi enim sunt modi vivendi, cogitandi, scribendi quorum rationes temporibus actis sunt repetendae. Mythi de ortu deorum deque eorum virtutibus, cultus, belli et societatis mores unde oriantur appetit ex hujusmodi investigationibus. Nunc denique et artis et poeseos dulces dehiscunt flores.

In extremo libro quasdam normas ad bibliographiam in hac scientiarum provincia seligendam et aestimandam legimus.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

NAVEAU, J. - BEGUIN, J. — *Manuel d'analyse*. 166 pag. Éditions H. Dessein, Liège, 1964.

Ad mentem puerorum evolvendam haec est ars omnino necessaria. Liber in duas partes est divisus, quarum prima est artis praceptorum 60 paginis constans, altera vero praceptorum applicandorum per reliquas 96 paginas patet. Institutiones puerorum mentibus et captui optime aptantur cum res ubi explicatae sunt summaris ac descriptionibus contrahantur.

Exercitationes autem sumpsit auctor e scriptis recentiorum auctorum quae et prioris partis quaestionibus correspondent, simul et alias selectas exercitationes proposuit ut pueri artem bene scribendi et componendi sibi acquirerent.

In hoc studio exsequendo opus magistri omnino est necessarium, cuius adjutus explicationibus discipulus reni et intellegere et evolvere poterit.

WALRAFF, A. — *Le latin par les textes*. 224 pag. Éditions H. Dessain, Liège, 1965.

Novae semper quaeruntur viae ad linguam latinam docendam novaeque

eduntur grammaticae melioribus rationibus instructae. A. Walraff hanc maluit sequi probatam rationem, qua multi usi sunt magistri, at in ea perficienda conentur oportet viri periti.

E latino sermone orationes, continuata verba depromuntur et in notulis quibus in adjunctis prolata seu e quoniam scriptore mutuata sint significatur. Merito auctori est tribuendum quod puerum ad genuinos linguae latinae fontes adducat e quibus haurientes sunt sermonis vis verborumque proprietas.

Tota materia 20 lectionibus distributa est. En ordo lectionis quintae decimae, ut hoc utamur exemplo: 1. — De urbe septem collium (Cic. Rep. 11, 5, 10, 11; ex his numeris aliqua verba tantum) et in calce explicatio sensus verborum et commentatio; imago urbis Romae; morphologia: specimen adjectivorum alterius ordinis; photographia Deae Romae; textus latini breviores (ex latino fonte hausti) et gallici vertendi; exercitationes per quattuor paginas; de Germanis (Senecae fragmentum). Inde altera lectionis pars, in qua praeter textus et exercitationes, notulae ad syntaxim et ad latine scribendi artem simpliciores apponuntur.

Ex quibus concludere fas est optima esse quae A. Walraff in suo opere collegit, paucis autem paginis nimia discenda alumnis dat, qui verborum ignotorum multitudine et grammaticarum legum varietate turbati per librum operosum quasi vagari videbuntur nisi sollertissimi magistri alumnis errantibus manus porrigant.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

BELLESSORT, A. — *Virgilio*. (Traducido del francés). 317 págs. Editorial Tecnos, O'Donnell, 27, Madrid, 1965.

In lucem hispanice prodit praecla-

rum opus Andreae Bellessort, a. 1949 in Gallia vulgatum. Auctor, sodalis Academiae Gallica, novam interpretationem illius maximi Mantuae nati poëtae dicere non vult; studet autem acerbissimi temporis historiam narrare, Vergilio duce, qui in hoc versatus est discrimine et tempora maximae Urbis gloriae amplissimis enarravit versibus.

A. Bellessort carmina Vergilii subtili subjicit examini unde praeterita paterent tempora, ad quae cognoscenda tot vires peritissimi magistri contulerunt.

Adnotationibus in opus Vergilianum necnon et carminum versionibus mentem animumque poëtae de suo tempore anxii, Imperii gloria perfusi intuemur.

DELLA CORTE, F. — *Avviamento allo studio delle lettere latine*. 223 pag. Editrice Mario Bozzi, Genova, 1965.

Hic liber de initiis sive elementis altiorum linguae latinae studiorum est. Della Corte, clmus. magister ac scriptor, de litteris latinis vulgo edit opus alumnis linguae latinae, praesertim philologiae utilissimum: optimus magister praecipuos et auctores et libros et scripta selegit ad alumnos in scientifica investigatione dirigendos.

Auctor omnes fere quaestiones attingit, ut ex indice videre est; hac de re liber necessarius ad haec superiora studia aggredienda, quae quidem multorum aliorum librorum adjumento perficienda sunt. En index: Le principali opere di consultazione (pp. 3-13). La trasmissione dei testi (pp. 15-29). I Periodi della filologia classica (pp. 32-46). Le tendenze dell'odierna filologia classica (pp. 57-64). Le discipline sussidiarie (pp. 66-74). Studi sulla lingua latina: prosodia, metrica, storie della letteratura latina

(pp. 76-164). Orientamento critico sugli scrittori latini (pp. 165-216).

Alios habet indiculos vocum technicarum et in fine libri consilia accommodata legimus ad libros sive scripta rite, i. e. juxta methodologye artis praecepta et scribenda et vulgo edenda.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

GUZZETTI, G. — *Necesidad y pérdida de la fe*. 88 págs. Editorial Herder, Barcelona, 1965.

Necessitatem est aperte fateri fidei necessitatem ad salutem obtinendam. Haec intricata quaestio et difficilis theologis discutienda ac solvenda manet. Simul autem et altera quaestio est: oportet rationem actionis missoriae Ecclesiae invenire, quae voluntati Dei salvandi homines respondeat.

Alia multa sunt quae auctor quaerit: Potestne fidelis catholicus fidem deserere et in Dei gratia manere? Quid Docet Ecclesia hac in re? Omnibus vero perpensis, haec tenet Guzzetti: Deus filiis suis gratiam ut in sinu Ecclesiae necessariam semper maneat omnibus praebet.

JARRY, E. — *Rome et les débuts du Moyen-Age*. 289 pag. Éditions de l'École. 11, rue des Sèvres, Paris, 1965.

In historia docenda non semper versus historiae sensus alumnis traditur. Quam plurimi sunt historiarum libri nominum ac numerorum pleni, desunt tamen illi optimi textus scholis puerorum aptandi in quibus non tantum res gestae et bella narrentur verum etiam et causae earum, effectus, rationes, relationes... Hujusmodi studium alumnis proderit ad hominum vitam per historiae tempora narratam intellegendam.

Ut hanc vero scientiam sibi acquirant alumni necesse est ut libri eadem

ratione parentur: plures igitur in illis desiderantur narrationes de gentium moribus vivendique modis, multae regionum tabulae pictae. His autem optimis proprietatibus librum elmi. viri E. Jarry ornatum videmus.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

SECHER, J. — *Histoire* 6. 223 pag. Editions J. De Gigord, 15, rue Cassette, Paris, 1965.

Consideremus oportet normas paedagogorum ad historiam rite tradendam. In hoc autem libro in primis explicantur multi praeteriti temporis ignoti aspectus, vitae oeconomicae et socialis facta subtili analysi subduntur, diversi disparatique gentium cultus narrationibus et imaginibus revealantur.

Magnus est ergo conatus enarrandae historiae ad quem non tantum conferunt pugnarum vel annorum indiculi.

Liber puerorum mentibus blanditur cum multis abundet coloribus. Narratio simplex et plana est ut et discipuli libenti gratoque animo sucum explicationis hauriant.

Libri auctores speciale operam derunt imaginibus parandis et photographiis ad res amplius illustrandas et compleendas.

Maximi momenti nobis videntur quae allata sunt historiae monumenta sive documenta, in quibus perlegendis alumnus ad ipsos historiae fontes venit, ut discat historiam narrationem fictam vel puerorum fabellam non esse; immo ut et ipse discipulus historiam ordinate narrare possit ubi documenta et alias librorum notitias consulerit.

AUBERT, R. — *El acto de fe*. 115 págs. Editorial Herder, Barcelona, 1965.

Actus fidei multas animi vires sen-

# PALAESTRA LATINA

## Index rerum atque scriptorum

a. 1965 et 1966

### Disputationes praecipuae

- C. M. DOLCIMASCOLO. — *De Latinitatis institutione colloquium*, 189, 2.
- L. M. SANSEGUNDO. — *Undenam crucis supplicium, quandoque usu venerit desirite*, 189, 19.
- B. FONTANINUS. — *Sallustiani flores*, 189, 37.
- J. M. JIMÉNEZ. — *Fastnefas, Fastus-nefastus*, 199, 49.
- N. MANGEOT. — *Aurelius Augustinus*, 199, 79.
- L. M. SANSEGUNDO. — *De parataxeos usu apud Q. H. Flaccum*, 191, 97.
- N. MANGEOT. — *Alexander Magnus*, 191, 124
- E. M. QUINTANA. — *Calendarium perpetuum memoriter utendum*, 191, 130.
- V. ANGELINO. — “*Age, dic latinum, barbita, carmen*”, 192, 145.
- P. CAELESTIS. — *De urbe Monaco ante aliquos octingentos annos condita*, 193, 1.
- N. MANGEOT. — *Aurelius Diocletianus*, 193, 31.
- A. PAGANO. — *De Cordubensi philosopho*, 194, 76.

J. C. PULCHRIMONTANUS. — *Novis rebus nova nomina*, 194, 80.

L. M. SANSEGUNDO. — *Ave, salve et vale apud latinos scriptores*, 195, 110.

N. MANGEOT. — *Publius Aelius Hadrianus Imperator*, 195, 123.

B. POVSIC. — *De ratione et via quibus in tradendis litteris latinis uteamur*, 196, 151.

L. M. SANSEGUNDO. — *De constantia*, 196, 171.

### Carmina

J. AMBROSI. — *Iter Dantis in Deum. Purgatorium. Iacopus, Boncontes, Pia*, 189, 13.

A. LI CALSI. — *Deus, Deus meus*, 189, 25.

J. MARINELLI. — *Libri an auctores noxii. Paschalia, Hiemalia*, 190, 63.

J. MATTEOCCI. — *Conloquia eucharistica inter Jesum ejusque amantissimum servum Antonium M. Claret*, 190, 77.

J. MORABITO. — *Ultimus Laertae dies*, 191, 113.

J. MARINELLI. — *Paulo P. P. VI legatorum de pace Principi*, 192, 159.

T. CIRESOLA. — *Tres Tabernae*, 193, 16.

- E. J. MARTIN. — *Maxima Marcillae gloria*, 194, 73.  
 R. PAONE. — *Sulamis*, 195, 104.  
 T. CIRESOLA. — *Hymnus in divum Joannem Bosco anno centesimo quinquagesimo ab ejus ortu*, 196, 157.  
 J. MARINELLI. — *De re cosmonautica*, 196, 163.

### Epistolarum inter socios commercium

- J. M. MIR · C. EICHENSEER. — 193, 21.  
 J. M. MIR. — *In memoriam Josephi Holzerii epistula*, 194, 69.  
 C. EICHENSEER · J. M. MIR · BEACH · MIR. — 195, 116.

### Per Orbem

- J. ARAMENDÍA. — 189, 34; 190, 85; 191, 135; 192, 175; 193, 36.  
 M. MOLINA. — 194, 82; 195, 127.

### Nova et Vetera

- J. M. MIR. — *Adventat ver*, 189, 9; *Tempus aestivum*, 190, 57; *Autumnus*, 191, 108; *Collegium nostrum inspicite, pueri*, 192, 154.

### Varia

- MOLINA · ARAMENDÍA. — *Novi Palaestinae Moderatores*, 189, 1.  
 F. ALOISE. — *Quae Lucia senserit suis montibus valedicens*, 189, 26.  
 G. BEACH. — *Petrus Sclopetarius*, 189, 30.  
 A. ALBERTINI. — *Somnium tironis*, 190, 66.  
 S. B. PEREIRA. — *De Pompeiana Urbe*, 190, 73.  
 L. GUERCIO. — *Vita S. Antonii M. Claret summis lineamentis adumbrata*, 191, 119.  
 A. ALBERTINI. — *Iter Siciliense*, 192, 165.

- C. EICHENSEER. — *In memoriam J. Holzeri*, 192, 179.

- C. EICHENSEER. — *In memoriam Josephi Holzeri Magistri Linguae Latinae Paedagogique vere magni*, 194, 49.

- J. M. MIR. — *In memoriam Josephi Holzerii epistula*, 194, 69.

- PAULUS VI S. PONTIFEX eos qui omnium gentium ac nationum conventui latinis litteris linguaeque foventis intersunt benigne alloquitur, 195, 97.

- C. EICHENSEER. — *Quid sit ex Conventu Romano sperandum et exspectandum*, 195, 100.

- N. MANGEOT. — *Europa, quando coalesces in unum?*, 196, 161.

- J. MARINELLI. — *De re cosmonautica*, 196, 163.

### Bibliographia

- ADRIANI, A. — *Repertorio d'arte dell'Egitto Greco-Romano*, 194, 88.

- AFRICA, T. — *Rome of the Caesars*, 195, 150.

- AKURGAL, E. — *Die Kunst Anatoliens von Homer bis Alexander*, 189, 39.

- ALADAR VON WESENDONK. — *Geister Brandys Cocktails*, 190, 88.

- ALONSO SCHÖKEL, L. — *La Palabra inspirada (La Biblia a la luz de la ciencia del lenguaje)*, 196, 186.

- ALT, K. · MUELLER, R. — *Helena*, 195, 142.

- AMBROSI, G. — *Dantis iter in Deum (Con Dante dalla Selva all'Empireo)*, 196, 186.

- ANDRÉ, J. — *Pline L'Ancien, Histoire Naturelle*. Libre XVII — Libre XIX, 193, 40.

- ARAGÓ MITJANS, J. M.ª, S. J. — *Psicología religiosa del niño*, 193, 44.

- ARAMENDÍA SEGURA, J., C.M.F. — *Roma. Gentium Domina*, 190, 89.

- ARAUJO · MARÍAS. — *Aristóteles. Ética a Nicomaco*, 189, 43.

- ARIAS, P. E. — *Enciclopedia Classica*, 189, 42.

- ARICI, A. — *Terenzio: Commedie*, 195, 130.

- ASSOCIATION Guillaume Budé: *VII Congrès, Aix-en-Provence*, 194, 90.
- AUBERT, R. — *El acto de fe*, 196, 190.
- AUSTIN, R. G. — *Aeneidos, liber secundus*, 195, 131.
- AYLEN, L. — *Greek tragedy and the Modern World*, 194, 94.
- BABIN, P. - VIMORT, J. — *El adolescente y sus problemas*, 194, 96.
- BAELEN, J. — *Mykonos*, 196, 175.
- BALASCH, M. — *Polibi, Historia IV*, in operculis n. 193.
- BARALDI, J. — *Curzio Rufo: Storia di Alessandro Magno*, 195, 130.
- BARIGAZZI, A. — *Favorino di Arelate, Opere*, 196, 182.
- BAYER, K. — *Cicero, Über das Fatum*, 194, 91.
- BAYER, K. — *M. Tulli Ciceronis De Facto*, 189, 44.
- BAYET, J. — *Cicerón, Correspondance*, V, 193, 41.
- BEAUJEU J. — *Minucius F., Octavius*, 194, 89.
- BELLESSORT, A. — *Virgilio*, 196, 189.
- BERGMANS, J. ET STACINO, F. — *Speculum*, 196, 175.
- BERNARDI PERINI, G. — *L'accento latino, cenni teorici e norme pratiche*, 192, 187.
- BLASS - SUESS. — *Bacchylidis, Carmina cum fragmentis*, 195, 141.
- BLOCH, R. — *Tite Live et les premiers siècles de Rome*, 196, 176.
- BOELEN, J. — *Sur les traces d'Alexandre*, vol. I: *préparation*, 196, 178.
- BOELEN, J. — *Sur les traces d'Alexandre*, vol. II: *texte*, 196, 178.
- BOLLAND, P. — *Pline le jeune, choix de lettres*, 196, 178.
- BOWRA, C. M. — *Pindar*, 194, 94.
- BOURBON DI PETRELLA, F. — *Il problema dell'arte e della bellezza in Plotino*, 195, 148.
- BOUYER, L. — *Introducción a la vida espiritual*, 191, 138.
- BRANDENSTEIN, W. — *Griechische Sprachwissenschaft, III Syntax I*, 194, 93.
- BRANDENSTEIN, W. — *Lingüística griega*, traducido del alemán por VALENTÍN GARCÍA YEBRA, 196, 181.
- BRANDT, E. - EHLERS, W. — *Apuleius, Der goldene Esel*, 194, 91.
- BRISSET, J. — *Les idées politiques de Lucani*, in operculis n. 191.
- BRIX, NIEMEYER, K. — *T. M. Plautus, Miles Gloriosus*, 195, 144.
- BUCHWALD - HOHLWEG - PRINZ. — *Tusculum-Lexikon, Griechischer und lateinischer Autoren des Altertums und des Mittelalters*, in operculis n. 189.
- BYRNE, TH. P. — *Facete dictum*, 190, 88.
- CALIO, G. — *Il latino cristiano*, 192, 188.
- CAMPS, W. A. — *Propertius Elegies Book IV*, 195, 133.
- CANALS VIDAL, F. — *En torno al diálogo católico protestante*, 193, 44.
- CAPELLANUS, G. — *Sprechen sie Lateinisch?*, 194, 91.
- CARLOTTI, U. — *Dei Sepolcri, Ugo Foscolo*, 196, 180.
- CASANOVES ARNANDIS, A. — *Estructura de las oraciones latinas*, 191, 139.
- CASTAÑEDA, J. M. — *Geometría*, 196, 177.
- CASTORINA, E. — *La poesia d'Orazio*, 196, 179.
- CAVENAILE, JR. — *Méthode de Grec*, Première année, 195, 132.
- CHARMOT, F. — *Esbozo de una pedagogía familiar*, in operculis n. 195.
- CHAUCHARD, P. — *El ser humano según Theilhard de Chardin*, 190, 90.
- CODOÑER, C. — *El "De viris illustribus" de Isidoro de Sevilla*, 195, 132.
- COLLOQUE pour l'étude des problèmes de la didactique du grec et du latin dans les pays de la communauté européenne, 194, 90.
- COMBLIN, J. — *Hacia una teología de la acción*, in operculis n. 194; 195, 148.
- CORSARO, F. — *Querolus (studio introduttivo e commentario)*, 196, 186.
- COSTA, V. — *Il Critone, Platone*, 194, 88.
- COUSIN, J. — *Ciceron, Discours. XIV. Pour Sestius, contre Vatinius*, 193, 41.
- CRAWFORD, ASHLEY, INFIELD, KEMPNER. *Elementary Latin: The Basic Structures. Part I*, 195, 141.

- CURANTE INSTITUTO ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS — *Certamen Capitolinum* XIII, 191, 139.
- D'AGOSTINO, V. — *La versione latina*, 195, 137.
- D'AGOSTINO, V. — *Tacito, C., Il libro quarto delle storie*, 195, 136.
- DAVIS, CH. — *El estudio de la teología*, 193, 44.
- DAL SANTO, L. — *Cammei Pascoliani*, 190, 91.
- DE ECHAVE - SUSTAETA, J. — *Virgilio y nosotros*, in operculis n. 193.
- DELAUNOY, A. - REMY, L. — *Pages choisies de Lucrèce, Catulle, Tibulle, Properce, Ovide*, 195, 147.
- DELLA CASA, A. — *Le concordanze del Corpus Tibullianum*, in operculis n. 190.
- DELLA CORTE, F. — *Avviamento allo studio delle lettere latine*, 196, 189.
- DESESSARD, C. — *Le Latin sans peine*, 195, 148.
- DES PLACES, E. — *Platon: Lexique*, in operculis n. 191.
- DIRLMEIER, F. — *Der Mythos von König Oedipus*, 196, 184.
- DOLÇ, M. — *P. Ovidi Naso, Tristes I*, in operculis n. 193.
- EDDY, S. — *The King is Dead. Studies in the Near Eastern Resistance to Hellenism*, 195, 147.
- EICHENSEER, C. — *De lacu Bigantino congelato — Bodenseegefrörne*, 193, 41.
- ENRIQUE DEL SDO. CORAZÓN. — *Cristo y María*, in operculis n. 194.
- ESTEPA, J. M. — *Jesús, yo soy tuvo*, 192, 183.
- EVEREST. — *Diccionario de Lengua Española*, 195, 130.
- FÄRBER - FALTNER. — *Platon, Ion, Cato Major*, 194, 91.
- FEIX, J. — *Herodot, Historien I, II*, 194, 91.
- FLACELIÈRE - CHAMBRY. — *Plutarque, Vies III*, 193, 43.
- FONTANA, P. — *Laelius. De amicitia*, 194, 88.
- FOUCAULD, C. — *Directorio*, in operculis n. 194.
- FRANCHI, B. - MELLANO, G. — *Sermo noster*, 189, 40.
- GAITÁN, E. — *La clave del éxito periodístico*, 195, 146.
- GALGIGLIO, E. — *Il tema della morte in Euripide*, 196, 179.
- GARCÍA ALVAREZ, J. — *Salustio, La guerra de Jugurta*, 196, 180.
- GARZETTI, A. — *Gli ideali politici di Atene e di Roma*, in operculis, n. 196.
- GASPAROTTO, G. — *Isidoro e Lucrezio*, 192, 181; 196, 181.
- GOCCI, P. — *Res et Verba*, 189, 41.
- GONZÁLEZ DE LA FUENTE, O. P. — *Acción y contemplación según Platón*, 196, 184.
- GOW, A. S. F., et PAGE, D. L. — *The Greek Anthology: Hellenistic Epigrams*, 194, 92.
- GOW, A. S. F. — *Machaon, the Fragments*, 195, 133.
- GRANERI, L. — *Estética pura*, 194, 87.
- GRANERI, L. — *Arte e poesia*, 196, 175.
- GRANERI, L. — *Origine e sviluppo della fede*, in operculis n. 196.
- GRECO, F. — *La pedagogia presso i romani*, 194, 87.
- GREIFENHAGEN, A. — *Ein Satyrspiel des Aischylos?*, 193, 43.
- GRENET, B. — *Ontologia*, 195, 146.
- GRIMAL, P. — *La littérature latine*, 195, 148.
- GRIMAL, P. — *Sénèque, Phèdre*, 194, 95.
- GRUBE, G. M. A. — *The Greek and Roman Critics*, 194, 93.
- GUERCIO, L. — *Scritti vari*, 196, 187.
- GUZZETTI, G. — *Necesidad y pérdida de la fe*, 196, 190.
- HAAG - HASS - HURZELER. — *Evolución y Biblia*, 196, 188.
- HANS VOLKMAR, H. — *Die Kessel der orientalisierenden Zeit, erster Teil*, 194, 93.
- HEINZ, A. — *Der Wortschatz des Jean Mielot*, 190, 88.
- HELM, R. — *Apulei Platonici Madaurensis. Opera quae supersunt*. Vol. I. *Metamorphoseon libri XI*. Vol. II. Fasc. I. *Apologia (De magia)*. Vol. II. Fasc. II. *Florida*, 195, 142.

- HJALMAR, F. — *Griechisches etymologisches Wörterbuch*, 194, 90.
- HOESL, P. — *Amor, Plenitud de vida*, 194, 87.
- ICART, J. — *Sallusti, La guerra de Jugurta*, 189, 44.
- ICART, J. — *Sallusti, La conjuració de Catilina*, 189, 44.
- INSTITUTO NACIONAL DEL LIBRO ESPAÑOL. *Libros católicos de España*, 191, 138.
- IORDAN, I. ET GEORGESCU, P. A. — *Los estudios hispánicos en Rumania*, 196, 177.
- JARRY, E. — *Rome et les débuts du Moyen-Age*, 196, 190.
- JOSSEURAND, CH. — *Salluste, la conjuration de Catilina*, 196, 178.
- KAJANTO, I. — *The Latin cognomina*, 195, 135.
- KASSEL, R. — *Aristotelis, De arte poetica liber*, 195, 134.
- KENNEDY, G. — *The Art of Persuasion in Greece*, 195, 141.
- KIRK, G. S. — *The language and Background of Homer*, 195, 131.
- KISCH, F. ET M. DE · VICENT, P. — *Liber quintus*, 192, 186.
- KLEINLOGEL, A. — *Geschichte des Thukydidestextes im Mittelalter*, 195, 136.
- KOESTERMANN, E. — *P. Cornelii Taciti, Libri qui supersunt*. Tom. I. *Ab excessu divi Augusti*. Tom. II. Fasc. I. *Historiarum libri*, Tom. II. Fasc. 2. *Germania. Agricola. Dialogus de oratoribus*, 195, 144.
- KYTZLER, B. — *M. Minucius Felix, Octavius*, 194, 89.
- LALOUP, J. — *Traité de Dissertation*, 196, 184.
- LAZZO DE LA VEGA, S. — *Héroe Griego y Santo Cristiano*, 195, 137.
- LECLERCQ, J. — *El derecho y la sociedad*, in operculis n. 191.
- LELOIR, L. — *Poésies lyriques grecques*, 189, 42.
- LE MAZOU, R. · Y. — *César, Bellum Gallicum*, 1 tome, 195, 133.
- LEUMANN · HOFMANN · SZANTYR. — *Latinische Grammatik: Lateinische Syntax und Stilistik mit dem allgemeinen Teil der lateinischen Grammatik*, 195, 145.
- LLOPIS PÉREZ, J. — *La orientación del adolescente y la "Guidance of Youth" norteamericana*, 193, 44.
- LÓPEZ GARCÍA, E., S. F. — *Tú ¿quién eres?*, 192, 185.
- LUCIANO, L. · TRAINA, A. — *Vocabolario Italiano - Latino*, in operculis n. 189.
- LUDWIG, W. — *Struktur und Einheit der Metamorphosen Ovids*, 193, 42; 195, 140.
- MALCOVATI, H. — *M. Tulli Ciceronis, Scripta quae manserunt omnia*. Fasc. 4. *Brutus*, 195, 143.
- MARACHE, R. — *Juvenal, Saturae*, III, IV, V, 195, 134.
- MAREL, H. · DERAEDT, P. — *Tacite, La vie d'Agricola*, 195, 132.
- MARINELLI, G. — *Latino "laico" e latino "sacerdotale", a proposito di una celebrazione petrarchesca*, 192, 183.
- MARINELLI, G. — *Missionalis Apostolicus*, 191, 138.
- MARMIER, J. — *La suivre d'Horace à l'époque romantique*, 196, 185.
- MARTINET, A. — *Elementos de lingüística general*, 196, 179.
- MARTÍNEZ, F. — *El misterio de la Liturgia*, 195, 146.
- MAZZARINO, A. — *M. Porci Catonis, De Agricultura*, 195, 143.
- MENZIONE, A. — *Ovidio: Le Metamorfosi*, in operculis n. 195.
- MICHAUD, I. — *Petite syntase latine des propositions*, 196, 178.
- MICHEL, A. — *Selecta carmina, Medii Aevi, saec. IX-XIII*, 196, 177.
- MITTELLATEINISCHES WÖRTERBUCH bis zum ausgehenden 13. Jahrhundert. I. Band. Lieferung 7, 8, 9: *armarius · beneficium*, 195, 145.
- MÜHMET, M. — *Griechische Grammatik in der Vergilerklärung*, 195, 136.
- MUSCOLO, R. — *Meditatio mea (meditaciones para seminaristas menores)*, 196, 185.
- MYNORS, R. A. B. — *XII Panegyrici Latini*, 195, 140.
- NAVEAU, J. · BEGUIN, J. — *Manuel d'analyse*, 196, 188.
- NOVAK, J. — *Passer Catulli, Ludicra*, 192, 185.

- OMMESLAEGHE, F. — *Homere. Iliade* (extraits), 195, 132.
- PARISSET, Fr. G. — *L'art classique*, 194, 95.
- PEARSON, L. — *Plutarch's Moralia*, 195, 131.
- PEETERS-SCHOIENFELD. — *Florus. Historia Romana*, 195, 139.
- PERNOUD, J. — *Annibal*, 189, 41.
- PETERSON, G. C. — *Cicero's, Oration for Arquias the poet*, 189, 40.
- PFLIEGLER, M. — *Teología Pastoral*, in operculis n. 196.
- PICARD, CH. — *Manuel d'Archéologie Grecque*, in operculis n. 189.
- PIGHI, G. B. — *Catullo Veronese*, in operculis n. 190.
- PIMENTA, G. — *Evidences*, 195, 135.
- PISANI, V. — *Storia della lingua latina; parte prima: Le origini, e la lingua letteraria fino a Virgilio e Orazio*, 192, 185.
- POCOCK, L. G. — *Odyssean Essays*, 195, 132.
- POPE, M. — *Saecula Latina*, 195, 139.
- PRÉCHAC, F. . NOBLOT, H. — *Sénèque, Lettres à Lucilius*, t. V, 193, 43.
- PROHASKA, L. — *Pedagogia sexual*, 196, 176.
- PYM, D. - NANCY, S. — *Alive on Men's Lips*, 195, 141.
- QUINTANILLA, E. — *Lengua Española, I curso*, 195, 130.
- RAHNER, C. — *Sentido teológico de la muerte*, 191, 140.
- RAMBAUD, M. — *César, De bello gallico, livres II et III*, 195, 135.
- REUSS, J. M. — *Sexualidad y amor*, 196, 176.
- REYNOLDS, L. D. — *L. Annaei Senecae, Ad Lucilium Epistulæ Morales*, 195, 145.
- REYNOLDS, L. D. — *The medieval Tradition of Senec's Letters*, 194, 94.
- RITCHIE, W. — *The Authenticity of the Rhesus of Euripides*, 195, 134.
- RUSCH, P. — *El arte de meditar*, 196, 187.
- ROMÁN NIETO, J. B. — *Dibujo, I curso*, 195, 130.
- SAMARAN, CH. . MARICHAL, R. — *Catalogue des manuscrits en écriture latine*, tome V, 196, 182.
- SANFORD E. M. — *Augustine city of God*, vol. V, 195, 131.
- SANSO, H. — *Espiritualidad de la vida activa*, 191, 140.
- SANTOS DE CARRERA, O. F. M. CAP. — *El Mesías Prometido, I curso*, 195, 130.
- SEEL, O. — *Caesaris, Commentarii rerum gestarum*. Vol. I *Bellum Gallicum*, 195, 142.
- SEEL, O. — *Römertum und Latinität*, 194, 92.
- SEGALL. — *Tradition und Neuschöpfung in der Frühalexandrinischen Kleinkunst*, 194, 93.
- SECHER, J. — *Histoire* 6, 196, 190.
- SEVERINI, L. — *Camino verde*, 194, 96.
- SHACKLETON, D. R. — *Cicero's letters to Atticus*, 195, 133.
- SIDNEY ALLEN, W. — *Vox Latina*, 195, 133.
- SCHMITZ, A. — *Virgile, Enéide Livre IV. Initiation*, 195, 149.
- SNELL, B. — *Pindari, Carmina cum fragmentis*. Pars I. *Epinicia*. Pars II. *Fragmента. Indices*, 195, 143.
- SPERANZA, F. — *Virgilio, Eneide II*, 195, 147.
- STÉGEN, G. — *Virgile. Les Bucoliques*, 1, 3, 5, 10. *Livre du maître*, 195, 139.
- TARN, W. AND CHARLESWORTH, M. — *Oc-tavian, Antony and Cleopatra*, 195, 149.
- TERZAGHI, N. — *Lanx satra*, 190, 92.
- TESTARD, M. — *Cicéron, Les devoirs, li-vre I*, 195, 136.
- TONDINI . MAURIUCCI. — *Lexicon novorum vocabulorum*, in operculis n. 192; 196, 180.
- TONDINI, H. — *Inscriptiones Latinae ad horonem Pii XII Pont. Max. compositae*, 192, 180; 193, 42.
- TONDINI, H. — *Rivulis canentibus*, 189, 41.
- TRAGLIA, A. — *M. Tullii Ciceronis poetica fragmenta*, 189, 39.
- TURNER PALGRAVE, F. — *The Golden Treasury of the best songs and lyrical*

*poems in the English language selected and arranged*, 195, 138.

ULLMANN, S. — *Introducción a la semántica francesa*, traducción y anotación por EUGENIO DE BUSTOS TOVAR, 196, 181.

VALCIGLIO, E. — *Plutarco, De Fato*, 196, 183.

VAUX, R. DE. — *Instituciones del Antiguo Testamento*, 194, 96.

VERDYCK GROENINCKX, M. — *Via Nova, I, II, III. Manuel de Latin*, 196, 177.

VIANSINO, J. — *L. Annaei Senecae, Dialogorum libri III-IV-V (De ira). Dialogum libri VI-XI-XII (Consolaciones)*, 193, 40.

VILLAMONTE, A. DE. — *Teología de la Confirmación. Teología del Bautismo*, 192, 184.

WALRAFF, A. — *Le latin par les textes*, 196, 188.

WALTHARIUS, F. — *Ovidi Nasonis, Remedia amoris medicamina faciei*, 195, 135.

WARRY, J. C. — *Greek Aesthetic Theory*, 194, 88.

WEBSTER, T. B. L. — *Hellenistic Poetry and Art*, 194, 94.

WEIS, H. — *Bella Bulla, Lateinische Sprachspielereien*, 196, 183.

WELLER, H. — *Carmina Latina*, 195, 138.

WIDRA, K. — *Xenophontis, De re equestri*, 195, 143.

WIEACKER, F. — *Cicero als Advokat*, 193, 42.

WISOBA, DER KLEINE PAULY. — *Lexicon der Antike*, 194, 90.

ZAFIROPOLO, J. — *Histoire de la Grèce à l'age de bronze*, 196, 188.

ZIEGLER, K. - W. SONTHIEMER. — *Der kleine Pauly Lexikon der Antike*, 190, 89; 196, 180.

ZIEGLER, K. — *M. Tullius Cicero, De Re Publica*, 193, 40.

ZUCCARELLI, U. — *Antologia Tacitiana, introduzione e commento*, 190, 90.

ZUCCELLI, B. — *ΥΙΟΚΠΙΘΣ, Origine e storia del termine*, 190, 91.

## RISUM TENEATIS

### Utilia cogitata

MODERATORES. — *Palaestrae Adulescentium valedicimus*, 189, 45.

J. ARAMENDÍA. — *Vetera nova siunt*, 190, 93.

S. AGUIRRE. — *De numerorum momento in vita hodierna*, 191, 141.

S. AGUIRRE. — *De Natalis Domini musica*, 192, 189.

J. ARAMENDÍA. — *Omnibus athletis salmo viribus praestat*, 193, 45.

### Narrationes

J. SÁNCHEZ. — *Persiae Imperator*; N. MANGEOT. — *Servus pro hero moritur*, 189, 46; M. VERA. — *Abjecta interdum utilitati sunt homini*; V. ESPUEY. — *Ursus et apes*, 189, 47.

D. MOSAKA. — *Titulus sepulcralis*; S. DELGADO. — *Gemmae tantum*; S. AGUIRRE. — *Noli fidem somnis adjungere*; J. ALONSO. — *Oraculi responsum*, 190, 94; T. JOVEN. — *Dianthus*; C. LÓPEZ. — *Campanula*; F. ZABAleta. — *Tyrtaeus poeta*, 190, 95.

R. SARMIENTO. — *Albi cygni temeritas et poena*; D. MUNGUÍA. — *Divites discunt*; A. VILLALTA. — *De medico Menecrate*; P. MOLL. — *Pastoris et apri fabella*, 191, 143.

V. CLIMENT. — *Certamen singulare*; A. BARAT. — *Apollo et Mercurius*, 192, 190; F. IMHOOF. — “*Telis argenteis adorire*”; D. BELLO. — *Pisonis crudelitas*, 192, 191.

M. CODINA. — *De Tyrtaeo poeta*, 193, 46; A. GÁLVEZ. — *De Falerno*; E. RUIZ. — *Lucullus et Pompejus*. — A. BARAT. — *Miles gloriosus*, 193, 47.

### Curiosa et Jocosa

B. BAILÓN, A. PARICIO, F. MARTÍNEZ. — G. CHUKWU, R. PINA, 189, 47. — *Anni messes versibus expressi*; F. R. CHELE, 189, 48.

E. RUIZ, A. GÁLVEZ, H. SARTOR, X. DÍEZ,  
192, 191.  
J. LIZAMA, S. MARTÍNEZ, 193, 46.

C. GARCÍA. — *Nomen celatum*, 192, 192.  
E. MARTÍNEZ. — *Quis sum?*, 193, 47.

### Aenigmata

- F. MARTÍNEZ. — *Quae sum?*, 189, 46; E. MARTÍNEZ. — *Arcana verba*, 189, 48.  
J. M. MARTÍNEZ. — *Ad saltum equi*, 190, 95.  
A. PÉREZ. — *Aenigma Vergilianum*, 191, 144.

### Cantica

- J. ARAMENDÍA - M. MOLINA. — *Siderum cantilena*, 190, 96.  
C. ARAMENDÍA, Χαὶρε, Μαρία, 191, 144.  
J. ARAMENDÍA. — *Fronde nemus*, 192, 192.  
M. LAVARENNE. — *Thracii quis nescit...*, 193, 48.

# B I B L I O G R A P H I A

susque movet. Quo modo homo actum fidei promat multi ac peritissimi theologi jam inde a s. XVI perversitant. Multae enim cum actu fidei concxae sunt quaestiones, quas R. Aubert summavit in hoc parvo libro refert. Has denique tres solvit: actus qui veritatibus revelatis inhaeret, mentis humanae dignitatem non deninuit; quonam modo actus fidei differat ab actu fidei humanae, quae scilicet quovis testimonio innititur.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

GRANERI, L. — *Origine e sviluppo della fede.* 264. pag. Edizioni Nerio, Bari, 1965.

Multae quaestione in hac sacrae theologiae provincia, quae de virtutibus est, solvendae manent. Disserunt auctores librosque conscribunt ad rem maximi ponderis enucleandam. Hujus operis auctor omnes voluit quaestiones ad fidem spectantes complecti easque viginti capitibus pertractare.

Id sufficiat notare: librum omnium delectatione volvimus cum animi sit plenum. L. Graneri aeneum opus non audet offerre lectori, qui veritatis lumen et amicitiae solacium quaerit in re ad vitam probe degendam praestantissima, sed qua pars est et decet humanitate, has praebet solitas quaestiones: Il bisogno della fede (pp. 16-30). Ateismo e fede (pp. 32-39). La fede e la vita (pp. 53-63). Fede e superstizione (76-81). Dalla fede alla religione (pp. 175-186). Dalla religione alla Chiesa (pp. 206-221).

Ex dictis jam patet in hoc libro proposita argumenta, hodie valde agitata silentio non praetermitti, sed discussienda proponi. Dolemus tamen quod

opus rite compositum lectissima non muniatur bibliographia.

GARZETTI, A. — *Gli ideali politici di Atene e di Roma.* 33. pag. Società Editrice Vita e Pensiero, Milano, 1964.

Orationem quam in Catholica Universitate Mediolanensi A. Garzetti habuit ad alumnos omnium Universitatis ordinum hoc opusculo edendam curavit. Merito notanda sunt ea quae auctor edixit de rei politicae honestate (pp. 25-30).

PFLIEGLER, M. — *Teología Pastoral.* 469 págs. Editorial Herder, Barcelona, 1966.

Michael Pflieger acerbam ac labiosam hominum vitam expertus est, priusquam magister in Vindobonensi Universitate renuntiaretur. Fratribus hominibus inserviens theologiae pastoralis altissimam didicit doctrinam. Liber igitur quem nobis in Libraria Domino Herder nobis praebet optimus est fructus et studiorum et vitae, quam ipse auctor duxit.

Mundus duabus taeterrimis bellis incensus, hominum vivendi cogitandique modos valde mutavit. Oportebat igitur novam theologiam, quae pastoralis dicitur componere ut nostris diebus lucem ingeramus rectamque vivendi viam ad mundi rationem implendam, ad aeternam salutem animorum obtinendam homines doceamus.

Non omnibus eisque diversissimis quaestionibus solutiones in hoc libro quaerendae; praebentur tamen rationes quibus plura vitae christiana problemata solvi possint.

C. LATORRE GIRAL, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"  
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET  
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index latinus	"	5

## “TEXTUS” ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.)	ptis.	10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.)		" 12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>		10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)		" 12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.)		10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)		" 10
" <i>Caesaris, De bello civili</i>		" 10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>		" 10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)		" 12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)		" 10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>		" 8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>		" 12
RURZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)		" 14
RAMOS, <i>Xenonhontis Anahasis</i>		" 12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales. pesetis 6

# Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 157 Ovidi - Tristes (vol. I). Llibres I-II  
158 Polibi - Història (vol. VI). Llibres IX-X  
159 Eurípides - Tragèdies (vol. I). Alceste  
160 Ovidi - Tristes (vol. II). Llibres III-V

### Subnotiones mittantur ad:

## EDITORIAL ALPHA S. A.

Vía Laietana, 30 - BARCELONA